Q. D. B. V.

HERMANNI MATTHIÆ RADEMACHERI, J. U. L.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

# MEDITATIO ACADEMICA, DE Jure circa correctionem diſciplinarem.

LOCO DISSERTATIONIS INAUGURALIS HARDEROVICI ad d. x. Jun. CIƆ IƆCCXI. propoſita.

*DEDICATA*

ILLUSTRI SENATUI HAMBURGENSIS REIPUBLICÆ.

HAMBURGI,
Litteris GEORGII FRIDERICI SCHULTETI CIƆ IƆ CCXI.

Digitized by Google

Digitized by Google

QUantum in Republica habeat momentum Cenſura morum, Patres Patriæ, non ignorant, qui publicis negotiis præſunt. Pendet ab ea non minus ſecuritas, quam, quæ eam munit, vitæ honeſtas,&



Digitized by Google

morum innocentia. Fruſtra tranquillitatem ſperamus, ubi eam moroſitas impugnat. Fruſtra turbatam Remp. iri metuimus, ubi honeſtatis ſanctitas habetur in pretio, morum floret venuſtas. Quanta vero in Cenſura exercenda Magiſtratui cautio ſit adhibenda, intelligunt, qui ab experientia edocti, quantam non oppidis, ſed civitatibus calamitatem attulerit, eam aut plane neglexiſſe, aut parum prudenter aliis obeundam reliquiſſe. Eam ob cauſam, **Patres**, hoc mihi ſumſi argumentum expendendum, Academico quidem more, id eſt, qui non excultus aut politus eſt negotiorum publicorum cura, ac tractatione, ſed qui res è longinquo contemplatur, & ad caſus ingenio conceptos aut in hiſtoria obvios accommo-

mo-

modat. Nobis enim præter hiſtoriam, ac judicii figuras nihil vivi relictum eſt. In ceteris ut mortui verſamur. Vivunt, qui regunt, quique Civilia munera attingunt, ut propria, ut domeſtica. In qua re, ſi quid ſcripſi, **Patres,** quod ad prudentiæ civilis regulam non ita compoſitum eſt, veniam me impetraturum ſpero, plane ea ratione, qua ut jucundum legitis, quidquid ſcholæ effingunt, ut ſalutare ſequimini, quidquid **Veſtra Vobis** prudentia ſuggerit. Ego quidem virium in hoc argumento feci periculum, ut illud obſequium eamq; pietatem, qua **Vos** colo obſervoq;, cujus ante aliquot annos teſtimonium **Vobis**

exhibendi mihi honos fuit, recentiori teſſera obſignem cuſtodiamq;. Quam officii demiſſi animiq; devoti ſignificationem, ſi benigne intueri, **Veſtroque**, quod civitatis eſt, Judicio comprobare velitis, ejus gratiæ æternum **Vobis** cultum æternamq; polliceor memoriam. Jubeat **VOS** DEus valere in Civium ſalutem, Reique publicæ Incrementum.

Dab. Hamb. Kal. Julii cIↄIↄccXI.

V. V. V V. MAGNIF. MAGNIF. & NOBIL. NOBIL. NOM. NOM.

Devotus Cliens

HERMANNUS MATTHIAS RADEMACHER. L.

Google

I. N. J. C.

# MEDITATIO ACADEMICA,

De

# Jure circa correctionem diſciplinarem.

## §. I.

Diſciplina à juriſdictione differt non genere ſed modo. Uti enim juriſdictio coercitio eſt improbrorum contra publicam tranquillitatem peccantium, ita diſciplina eſt caſtigatio petulantium contra pacem familiæ aut ſocietatis regimen diſciplinare exercentis laſcivientium. Ut autem probe conſtet, quæ ſit diverſa diſciplinæ ratio à juriſdictione, utriuſque nobis fundamenta paucis eruenda erunt. Juriſdictio ex imperio, diſciplina ex cenſura morum oritur. Juriſdictio crimina, delicta ac facinora lege notata punit, diſciplina vitia, flagitia caſtigat, quæ contra honeſtatem ac decorum committuntur. Quomodo autem flagitium differat à delictis ac facinoribus, apparet ex locis Auguſtini & Taciti, quæ allegat *Illuſtr. Dn. Thomaſius S. Reg. Majeſt. Boruſſ. ut & Sereniſſ. Ducis Saxo-Cizenſis Conſiliarius Intimus ac Miniſter Status, JCtus & Philoſophus incomparabilis ac quavis laude major in Diſput. de judicio morum Cap. 1. §. 13.* Ait *Auguſt. lib. 2. de Doctrin. Chriſt. cap. 10. Quod agit indomita cupiditas ad corrumpendum animum & corpus ſuum, flagitium vocatur, quod autem agit, ut alteri noceat, facinus dicitur.* Et *Tacitus de Moribus German. Diſtinctio pœnarum ex delicto: proditores & transfugas, arboribus ſuſpendunt, ignavos & imbelles, & corpore imfames* ( *Lipſius* legit ut Illuſtr. autor adnotat torpore infames ) *cœno ac palude, injecta inſuper crate mergunt. Diverſitas ſupplicii illuc reſpicit, tanquam ſcelera, oſtendi oporteat, dum puniuntur, flagitia abſcondi.*

Differentia diſciplinæ & juriſdictionis.

Juriſdictio ex imperio Diſciplina ex Cenſura morum oritur.



Digitized by Google

§. II.

Quid ſit Cenſura morum.

Quamobrem, cum Cenſura morum origo ſit diſciplinæ, neceſſe erat hic naturam cenſuræ latius exequi: ut eo accuratius, quid de diſciplina ſentiendum, diſputari queat. Sed cum illud argumentum poſt immortalem noſtrum Thomaſium perſequi velle, eſſet pingere poſt Appellem, ſufficiet potiſſima ejus fundamenta hic quidem excerpere.

Pertinet ad actiones honeſtas & decoras.

Itaque Vir ſummus pergit *all: ſupra loco* §. 14. judicia morum coercent, quæ legibus quidem licent, adeoque non injuſta ſunt, ſed quæ tamen non ſunt utique honeſta. *Nec enim, inquit, omne quod licet honeſtum eſt. Igitur cum leges de juſtitia ſoleant diſponere de iis negotiis, quæ pacem externam turbant, ut nemo lædatur, & ſuum cuique tribuatur, multa autem præterea ſint, quæ ad vitæ honeſtatem pertineant, quæ etiam citra turbationem pacis publicæ violari poterunt, de his deſpicere, pertinebit ad judicium morum & officium Cenſuræ.* §. *deinde XVII. ejusd. Cap.* rem omnem declarat ex philoſophiæ ſuæ principiis, quæ ſunt, ut injuſtas actiones ab inhoneſtis ac indecoris probe ſeparet, quas miſere miſcuit *Cic. lib. 1. d. offic.* ubi juſtitiam, fortitudinem, temperantiam ac prudentiam inter ſe commiſſas, tam ad juſtitiæ, quam honeſtatis ac decori regulas compoſuit, ac decorum totum cum virtute confuſum, mente & cogitatione ſolum diſtingui docuit. Etenim ait *Excell. Autor* alium eſſe virum juſtum, alium virum honeſtum, qui præcepta honeſti & decori obſervat, qui contra faciunt, injuſti; turpes, flagitioſi, laſcivi, agreſtes, petulantes, appellantur, prout ab honeſtate maxime differunt. Vir injuſtus eſt, qui jus aliorum lædit & pacem publicam turbat. Vir flagitioſus, petulans, laſcivus, qui ſola impotentia animi, avare ac ſordide vivit, alios comtemnit, nec iram cohibet, caſtitatem non obſervat, libidinem non compeſcit; ubi ſimul bene obſervatum lego, voluptatem corporis maxime omnium vitiorum plerumque pungi; ideoque eos homines, qui ejus vitia ſectantur, ſtrictiori loquendi formula turpem vitam agere dici, cætera vitia, quæ ex avaritia aut ambitione propullulant, titulo magnitudinis animi, Zeli, æmulationis, ſobrietatis ac frugalitatis obtegi. Cæterum ab his vitiis diſcrepant, adhuc inhumanum, immiſericors ac agreſte, & ruſticum. Inhumanus eſt, qui ea officia detrectat, quæ innoxia ſunt, ut pati, ut quis lumen de lumine accendat, aquam ex perenni fonte hauriat. Immiſericors eſt, qui in vindicta excedit, aut in amore communi deficit, uti eſt, qui peccantem ſemel aut iterum nimis longa aut crudeli pœna afficit, miſeriis alterius lætatur aut plane inſultat, emeritos domo ejicit. Agreſtis eſt ac ruſticus, qui ea civi-

Notatur Cicero.

Vir juſtus & honeſtus quomodo differant.

Inhumanus quis.

Immiſericors.

Agreſtis.

Digitized by Google

civilitatis ſigna prætermitit, aut negligit, quæ in ſocietatē illata ſemel ſunt, qui in ſermonibus ruſticus eſt, in amicitia colenda durus & pertinax, aditu difficilis & injucundus, uti eſt, qui plane non ſalutat, aut ſalutantes non reſalutat, moroſus importunis ſermonibus utitur &c. Hæc quidem video in *laudata Diſſert.* omiſſa, meo tamen judicio pertinent quoque ad Cenſuram morum, ac exempla ad ſunt, quibus caſtigati à Cenſoribus, qui contra fecerunt, quanquam non negem, hæc quoque vitia ad fontes, quos ſupra commemoravimus, reduci poſſe. Ita, ut rem uno exemplo declaremus, jus hoſpitii, quo majores noſtri nihil ſanctius habuerunt, uti *Tacit. de Morib. Germ.* teſtis eſt, apud omnes Gentes inviolabile ſemper eſſe debere exiſtimatum eſt, ut religioni quoq; duxerint, receptum hoſpitem non defendere contra quamvis injuriam. *Demophon apud Sophoclem* ita laudat cives ſuos: Hæc vitia pertinent etiam ad Cenſuram.

*Hac patria noſtra ſemper invalidos ſolet*
*Sed jure fretos ope ſua defendere,*
*Antehac amicis mille relevandis tulit*
*Diſcrimina:*

Et erat apud Athenienſes miſericordiæ ara, ad quam miſeri confugiebant tuti à quovis impetu, de qua ara late *vid. Grot. de J. B. & P. Lib. 2. c. 21.*

## §. III.

Ex iis autem, quæ hactenus diximus, facile intelligi poteſt, morum cenſuram, & quæ ex ea profluit, correctionē diſciplinarem, exerceri plerumq; ab iis, qui ſingularis præſtantiæ ſunt, aut eſſe exiſtimantur, in eos, qui ſunt imbecillioris aut ingenii aut conditionis. In qua re optimum erit rem ab origine deducere. Et primam quidem nobis diſciplinam familia offert, & alteram reſpublica in Cives; de ſingulis nunc videndum. In familia primum eſt uxor, deinde liberi, poſtea ſervi. Diſciplinam quam in illas exercemus, vocamus poteſtatem maritalem, quam in iſtos patriam, quam vero in hos, dominicam. Id vero ante reliqua omnia conſiderandum eſt, in hac contemplatione ſeparandum eſſe ſtatum naturalem à ſocietate ſeparatarum familiarum, & hanc à ſtatu Civitatis. Statum naturalem appello eum, quem Philoſophi ſibi fingunt, antequam civitates ullæ aut ſocietates exſtiterunt, in quo homines univerſi ſumme æquales jus in omnia & in omnes hoc ſenſu habuerunt, ut quiſque ſuam omnibus utilitatem ante ponere jure potuerit, eamque cum alterius quærere non incommodo tantum, ſed & uti res tulit, interitu. Ex quibus omnibus fluit: *Naturam dediſſe unicuique jus in omnia, h. e. in Statu mere naturali, & antequam homi-*

Qui ſint Cenſores.

Methodus dicendorum.

Cenſura exercetur aut in familia aut in republica.

In familia primum maritus & fœmina.

 *nes*

Digitized by Google

*nes ullis pactis ſe invicem obſtrinxerint, unicuique licuiſſe facere, quacunque & in quoscunque libeat, & poſſidere, uti, frui omnibus, quæ volebat & poterat. Ex quo etiam intelligi, in Statu naturali menſuram eſſe juris, utilitatem* uti refert Dn: *Pufendorf. in lib. 2. cap. 2. §. 3. de I. N. & G.* Eum ut fingamus, ideo neceſſe eſt, ut ex ea fictione omnium optime, quid jus naturæ ſeparatum à civili, & moribus Gentium jubeat, colligere accurate poſſimus. Quare, ſi de eo ſtatu inſtituamus conſiderationem & quæramus, quid marito in fœminam competat juris, reperiemus id parum aut nullum eſſe; in ſocietate autem familiæ ſeparatæ multum aut omne, in ſtatu denique civili aut plurimum aut mediocre, quantum per leges civiles licebit.

Quam diſciplinam exerceat maritus in fœminam in ſtatu naturali.

## §. IV.

Sententia Grotii.

Quantum ad ſtatum naturalem pertinet, (nam ſequemur etiam eum ordinem in ſequentibus) primum videamus, quid alii Philoſophi de hac re ſenſerint. *Grotius de I. B. & P. lib. II. cap. 5. §. 8. n. 2.* ita matrimonium naturale definit. *Conjugium igitur naturaliter eſſe exiſtimamus talem cohabitationem maris cum fœmina, quæ fœminam conſtituat, quaſi ſub oculis & cuſtodia maris.* Qua, opinor, ſententia fidem marito debitam demonſtrare voluit, dubius, utrum eandem maritus debeat fœminæ. Addit enim *§. IX.* polygamiam nec ante Evangelii doctrinam prohibitam fuiſſe imo ſanctorum virorum exemplis potius comprobatam: *& Auguſtinus in lib. XVI. de civitate Dei cap. 38.* recte dicit: *multiplicandæ poſteritatis cauſa plures uxores lex nulla prohibebat.* Maritum vero in corpus uxoris dominium habere affirmat, nec videtur per ea quæ habet *n. 4. ejusd. §. & §. II.* reprobare divortii licentiam. Singulare vero eſt, quod habet *§. 15.* ubi proponit quæſtionem de concubinatu, utrum ille juri naturæ contrarius ſit, quam quidem negat, ſed non ſatis accurate tradit differentiam inter concubinatum & matrimonium, ſed ait concubinatum verum eſſe conjugium, licet effectibus quibusdam civilibus deſtituatur, quod illuſtrat exemplo contubernii inter ſervum & ancillam. Qua in re manifeſte concubinatum & contubernium confundit. Contubernium enim eſt verum matrimonium inter æquales, de æqualibus & ſimilibus ſui procreandis. Concubinatus vero, uti ipſe *ex Auguſtino Lib. V. de bono Conjugii* explicat, cum maſculus & fœmina ſibimet non filiorum procreandorum, ſed propter incontinentiam, ſolius concubitus cauſa copulantur. Ob quem antiqua Eccleſia neminem à ſacris exuclusit, modo nec mas cum altera, nec mulier cum alio eodem modo jungatur. Plura de poteſtate mariti

Digitized by Google

riti in fœminam non addit, apparet tamen ex eo, quod dicit, maritū habere dominium in corpus uxoris, eum admittere aut concedere marito eam in uxorem diſciplinam, quæ ad regendos ejus mores maxime ſpectat. *Puſendorfii* doctrina breviter hæc eſt, uti eam proponit *L. 2. de O. H. & C. cap.* 2. §. 2. Inſtinctum ad procreandam ſobolem hominibus à Numine naturaliter inditum eſſe, non ad vagam quandam voluptatem explendam, ſed ut moleſtias matrimonii quadam voluptate conpenſemus. Non poſſe decoram & bene diſpoſitam inter homines ſocietatem vitæque civilis cultum intelligi ſine legibus connubialibus, eumque turpiter fœdari vago concubitu. Potiora matrimonii capita in eo conſiſtere, ut quia Vir ſibi prolem quærere intendit ex ſuo ſemine natam, fœmina marito juret fidem, eandemque fœminæ juret maritus; deinde ad vinciendam eo magis eam ſocietatem & diſpenſandos commodius educationis labores Fœmina perpetuam cohabitationem Viro promittat. Cæterum marito dandam familiæ directionem. Ipſe itaque domicilium conſtituat, nec uxor eo invito peregre abeat, aut ſecubet. Jus tamen vitæ & necis, gravioremque coercitionem non pertinere ad eſſentiam mariti. Polygamiam quidem non videri prohibitam, ſed honeſtius ea abſtineri, oſtendere vero naturam tam arctæ ſocietatis, eam oportere eſſe perpetuam, niſi alterius adulterio aut malitioſa deſertione rumpatur. Poſtremo, mariti officium eſſe diligere uxorem, eam nutrire, regere ac defendere, uxoris, maritum amare, honorare, adjuvare in generanda educandave ſobole, partemque curarum domeſticarum capeſſere. In eandem fere doctrinam deſcendunt *Excell. Viri Buddeus & Titius* ſpeciatim hic in decidendis quibusvis circa matrimonium caſibus, hanc adſtruit regulam. *Quod homines genus ſuum propagare eo modo debeant, qui & natura propagantium ſociali convenit, & homines natos ad religioſitatem, φιλαυτίαν temperatam & ſocialitatem quam optime diſponit Obſerv.* 478. Hinc vagam maris, ac fœminæ coitionem damnat, quam pecuinam appellat. *Obſerv. 473.* licentiam divortii rejicit *Obſerv. 489.* Polygamiam quoque inprobat *Obſerv. 488.* ob regulam generalem, tum etiam ob eam, quod hoc pactum nō unius ſit, imo ne mutuo quidem diſſenſu, ob nullas aut leves cauſas dirimi poſſit, quod hæc levitas naturæ hominum vix conveniat, adulteriis locum faciat. &c. Quod ad imperium maritale attinet *Dn. Autor. Obſerv. 483.* directionem familiæ ob præſtantiam ſexus concedit, marito imperium naturaliter denegat, aut ſi aliquid ex jure poſitivo divino univerſali tribuendum, illud ſuo certe ambitu non continere poteſtatem, pro lubitu uxori inſultandi,

Sententia Puſendorfii.

Sententia Titii.



tandi,

Digitized by Google

tandi, aut eam ob delictum per judicii modum coercendi. Nam ſi uxor ob convitia aliasque injurias marito illatas, ab eodem male habeatur, id jure belli fieri aut ex communi defenſione reſultare, nec peculiarem permiſſionem ſupponere. *Vid. Obſerv. 484.* ibique conjunctam doctrinam *Illuſtr. Dom. Thomas. quam in Jurisprud. ſua Divi.* perſequutus eſt.

§. V.

Noſtra Sententia.

Ut tandem & noſtram ſententiam exponamus, ſeparanda ſunt tempora, quæ ſupra diſtinximus ſtatus ſcilicet naturalis, ſeparatæ familiæ, & Civitatis. In ſtatu naturali nullum videtur matrimonium eſſe, i. e. nulla conſtans & perpetua cohabitatio. Namque uti ſtatus naturalis in eo differt à reliquis ſocietatibus, quod ibi ſumma omniũ libertas ſit, nec quisquam alteri obligetur, non videtur talis ſocietas fingi poſſe, qua fœmina viro perpetuam corporis ſibi uſuram permittat, atque eam cuiquam alteri ſe non conceſſuram polliceatur. Namque ſtatim ex hoc pacto viro in fœminam conceditur judicium, atq; adeo poteſtas ſtatuendi de ejus actionibus, easque puniendi, quæ res cum æqualitate ac libertate ſtatus naturalis pugnat. Itaque ſua ſponte mulier ad hoc pactum non obligatur, quæ non minus libertatem ſuam ſervare poteſt, quam Vir. Ergo, inquis, nulla ſpes matrimonii in ſtatu naturali? Ita eſt: concubitus tamen eſt. Concumbet fœmina cum Viro, ſed non ei tradit dominium in corpus. Augmentum generis humani ex concubitu pendet non ex dominio. Atque ea eſt in viro copia ſanguinis, qui multis fœminis ſuffiict, ut l. centum etiam implere poſſit, eaque plurimarum fœminarum proclivitas, ut vix uno congreſſu concipiant, quin plurium potius virilem virtutem experiantur. Quam utriusque vim ac impetum natura non fruſtra indidit, ſi verum eſt, quod natura nihil faciat fruſtra, ut jam taceam, poſſe in utero unius fœminæ tergeminos, quadrigeminos aut amplius generari. Exemplum illuſtre in hiſtoria habemus, quod refert *Juſtinus lib. 3. c. 4.* cum Lacedæmonii Meſſenios obſidione fatigarent, & jam omnem juventutem perdidiſſent, veriti, ne respublica deficiente maſcula prole deficeret, juventutem, quæ in ſupplementum miſſa erat, domum remiſerunt, quod promiſcuo uxorum concubitu virorum cladem reſtaurarent. Verba hiſtoriæ ſunt: *Itaque cum contra præſumtionem ſuam annis decem in obſidione urbis tenerentur, ex querelis uxorum poſt tam longam viduitatem revocantur; veriti, ne hac perſeverantia belli, gravius ſibi, quam Meſſeniis nocerent: quippe illis, quantum juventutis bello intercidat, mulierum fœcunditate ſuppleri; ſibi & belli damna aſſidua, & fœcunditatem uxorum, abſentibus Viris nullam*

In ſtatu naturali non videtur eſſe perpetua cohabitatio.

*nullam eſſe: itaque legunt juvenes ex eo genere militum, qui poſt jusjurandum in ſupplementum venerant, quibus Spartam remiſſis, promiſcuos omnium fœminarum concubitus permiſere: maturiorem futuram conceptionem rati, ſi eam ſingulæ per plures Viros experirentur.* Quare, ſi unus Vir pluribus fœminis ſufficit, una mulier pluribus viris ferendis par eſt, quid frangimus vires à natura datas, quid continemus inpetum à matre Dea ſtimulatum, quid tam anguſtis terminis includimus turgidum ſpiritum, qui longius exſpatians, orbem prole impleturus erat. Recte hactenus philoſophantur JCti, quod jus naturæ id dicant, quod natura omnia animalia docuit, ac inde eſſe maris & fœminæ conjunctionem. Certe in eo, quod natura incitante facimus, non peccamus, id enim peccatum naturæ foret, qua ad illud ferimur, non noſtrum. Injecit nobis natura famen ac ſitim, duos fortiſſimos nos conſervandi Stimulos. Eos vero, uni moderatos ac exiguos, alteri acriores & ampliores: Uti vero eum non increpamus, qui genium ſuæ gulæ largius implet, ſi ex ejus nimia edacitate, aut bibacitate alter nullum incommodum ſentiat, ita cum alma Venere comparatum eſt. Ejus incitamenta in uno aſperiora ſunt, quam in altero, ſed qui ob eam rem ob ampliorem naturæ dotem magis laudandus, quam vituperandus eſt. Quo, quem magis natura impellit, eo ſe augendo humano generi accommodatiorem credat. Qui à Venere abſtinentior eſt, ſciat in ſe tenuiores duntaxat eſſe vires, doleat tenacitatem potius almæ Deæ, quæ ſibi hanc dotem negavit, nec mordeat eos, qui illa abundant, ſed excolat alias dotes, quas in ſe natura congeſſit, pariter mitem Cenſorem inventurus. Quæ ſi vera ſunt, toties concumbere & cum tot naturali licentia utique permiſſum erit, quoties à natura incitamur. Nec ea res perpetuam cohabitationem omnino poſtulat. Namque præter eam rationem, quam ſupra adduximus, ſocietas ordinarie ſolvitur, ceſſante cauſa, propter quam coivimus. Atque hæc naturalis conjunctio, cum brevi ſpatio l. cum pluribus fieri poſſit, non ſunt contra naturam cogendi coeuntes, ut renitente cauſa ſocietatis, in ſocietate maneant. Quæ enim poſt coitum cauſa manendi? dicis: proles exſpectanda: ſed diverſiſſima ſunt concumbere & prolem educare, quæ jungi quidem poſſunt, ſed ut jungantur, neutiquam neceſſarium eſt. Atque hoc modo Amazones leguntur reipublicæ ac exercitus ſibi ſupplementum quæſiviſſe. Ex quibus credo, patebit, in ſtatu naturali, uti nulla conſtans cohabitatio eſt; & fœmina pari libertate utitur ac Vir, nullum viro ob concubitum competere imperium, nullam correctionem.

Neque

Digitized by Google

Neque enim concubitus ipſi Viro ullum parit imperium, nec ulla probabilis dari ratio poteſt, cur fœmina ob ſolum concubitum ſe in ſervitutem viro tradere, ſuique corporis dominium ei committere velit, cujus uſuram cum multis aliis communicare poterit. *Juſtin. Trog. Pomp. Epitomat. Lib. 2. cap. 4. Singulare omnium ſeculorum exemplum auſæ, auxere rempublicam ſine Viris: Jam etiam cum contemtu Virorum ſe tuentur. Et ne feliciores aliæ aliis viderentur, viros, qui domi remanſerant, interficiunt. Ultionem quoque cæſorum conjugum, excidio finitimorum conſequuntur. Tum pace armis quæſita, ne genus interiret, concubitum finitimorum ineunt. Si qui mares naſcerentur, interficiebant. (aliter Jornand. Getic. c. 8. quidquid partus maſculini edidiſſent, patri reddebant) Virgines in eundem ipſis morem, non otio, neque lanificio; ſed armis, equis venationibus exercebant, inuſtis infantum dexterioribus mammis, ne ſagittarum jactus impediretur: Unde Amazones dictæ ſunt.* Quod ſi ergo conjecturis locus eſt, origo cohabitationis cum pacto de ſobole procreanda, quam nos matrimonium vocamus, aut à captivitate, quod eadem mulier à multis expetita, à fortiori capta ſit, aut ab eo forte deduci poteſt, quod fœmina virum amaverit, aut viribus ſuis diffidens ſe ſponte viro commiſerit, ut ab eo defendatur contra impetus aliorum, ex qua aut captivitatis aut pacti lege, ſtatus ſeparatæ familiæ enatus eſt: De qua regula deinde latius diſputabimus.

In ſtatu naturali nulla competit marito diſciplina in fœminam.

Origo cohabitationis perpetuæ.

## §. VI.

Quæ contra ea quæ hactenus diximus in medium afferuntur, hæc ſunt. Stimulum libidinis inditum à natura hominibus eſſe, non ut ea ſatieretur, ſed ut ejus dulcedine moleſtiæ matrimonii compenſentur. *Pufendorf. in lib. de O. H. & Civis lib. 2. cap. 2. §. 2.* Sed in hac re quæritur illud, quod erat in principio. Namque conſtantem cohabitationem, quam matrimonium appellamus, aut præceptum à natura, circulosque fœcunditati naturali conſtitutos, aut genus humanum ſine eo matrimonio ſalvum utique non poſſe eſſe, demonſtrandum erat, quod à nemine factum luculenter video. Num quid enim ſocietas turbatur, ſi vir pluribus cum fœminis concumbit? Imo vero promovetur, plures in amicitiam ac amores cooptantur. Ac ſi iterum fœmina pluribus ſuccumbit viris, amplior eſt affinitas, concordiaque largior. Neque enim ea in ſtatu naturali eſt luxuria nec ea invidia aut proprietatis cupiditas, ut fœminam cum pluribus corpus communicare ægre ferat mas. Eam apud nos invidiam invenerunt amorum illecebræ,

Reſpondetur Objectionibus.

quæ

Digitized by Google

quæ cultas gentes i. e. luxu diffluentes corruperunt. Quam primum autem ea invidia genus humanum invaſit, à promiſcuo generandi aſfectu, uſuque in propriam concubitus ſingularis cupidinem, diſceſſum, jamque familiæ facta mater, quæ antea vagina erat gentium. Scio, quid contra hanc ſententiam afferatur in medium. Ita enim confundi gentilium imagines, turbari ſanguinis jura, ac miſceri Parentum agnatorumque ſacra. Sed quæſo! quid inde detrimenti capiet genus humanum. Non ſint Scipiones non Valerii non Martii non denique Germani Teutonis, non Romani Romuli progenies, erunt tamen homines, non ſint frater, avunculus, Patruelis, cognati, agnati, erunt tamen mares ac fœminæ, non quæratur de tabulis teſtamenti Lentuli, erit mater, quæ ubera dabit filio, cui ſpiritum ac animam ſuppeditabit, cujus vires lacte nutriet. Non ſint ea condita Nini, Aſtyagis, Cyri, Darii, Alexandri, Romuli, Imperia, non comparaverint ſibi nominis immortalitatem tot millibus homicidiis ſpoliiſque publicis Caroli, Ottones, Friderici, Ludovici, non diminuetur propago hominum, exulante illa inſatiabili proferendi regni cupiditate. Veſcentur mortales fructibus terræ, olere ac radicibus ſine invidia, ubi dominium, ubi proprietatem ſuſtuleris, non devorabit inſana æmulatio imbecilliores, pari omnium fortunæ, paribus viribus potentior non inſidiabitur, non erunt divitiæ orbis congeſtæ atque conlatæ in unam domum, ſed æquo naſcendi jure omnibus communes. Eos nobis fructus parturiunt matrimonia. Ubi heredes habes divitiarum, habebis quoque incitamentorum. Denique quid refert utrum ex eodem corpore prodeant fratres, an vero Pater ac Filius? numne minus erunt homines? numne minus ſalvi? minus integris membris? ſano corpore? ſana mente? Si mihi objicias Dei præceptum: cedo. Neque enim diſputo cum Numine, cujus ſervus malo eſſe, quam Dominus orbis terrarum, ſed tecum diſſero mortalis! Quæ Excell. Dn. Titius contra fatur, idem continent πρῶτον ψεῦδος. Eſto coeundi licentia nobis cum belluis communis: quid vitii contrahit edendi bibendique cupido, quod eandem etiam habeant beſtiæ. Habeant etiam coitum, in quo ſi differimus à beſtis, in eo diſcrepamus, quod illæ continentiores ſint nobis, certoque anni ſaltem tempore œſtro percitentur. Utinam! in omnibus vitiis cum beſtiis haberemus continentiam. Quotuſquisque non eſt rapacior lupo, crudelior tigride, incontinentior gallo, quorum tamen laudes currunt per ora Poetarum, Oratorumque. Sequuntur, quem nos ſervare non poſſumus, beſtiæ natu-



Digitized by Google

ræ inſtinctum, à quavis incontinentia luxuriaque alienum. *Homo naturaliter inclinat ad alliciendos ſibi morbos, & abhorret à rebus ſanitatem corporis conſervantibus, imo beſtiæ ratione carentes melius homine norunt media ad conſervandam ſanitatem, & vitam utilia, & cura hominum longe difficilior eſt quam cura beſtiarum, ait Illuſtris Dn. Thom. cautelis circa præcognit. juris cap. 1. §. 63. 65. 67.* Sic nos evertimus naturam, calcamus pedibus humana divinaque jura, nec Evangelium nec Prophetæ continent ſanguinoſas manus ab internecione humani generis, aut temeratores à pollutione thori conjugii. Ait nobiliſſimus Philoſophus impediri educationem promiſcuo concubitu. Sed jam tum ſupra ad hoc reſponſum eſt, diverſa eſſe coeundi, educandique officia. Deinde quid ſi dicam, matrem æque bene ſubituram curam educandi ac Patrem, quid ſi opponam in ſtatu naturali præcepta ſapientiæ, ut deinde videbimus, eſſe pauciſſima, nec eam curam, qua hodie formamus ſobolem, poſtulari.

## §. VII.

*In ſtatu ſeparatæ familiæ, apud quem diſciplina? diſtinguitur.*

*Si ex amore uxor maritũ ſecuta.*

Hæc ita ſe habent in ſtatu naturali. Ubi vero fœmina in ſeparatam cum marito familiam ſeceſſit, ſive rapinæ, impetuſque metus, ſive amor eam in domum Viri deduxit, jam alia conſideratio inſtituenda. Namque ſi amor eam junxit viro, non quidem omnem ſtatim libertatem amiſit, nec parem dignitatem retinuit. Fuit in marito, uti ſemper eſt, maturior prudentia, validior ad tuendam domum virtus, cautior in perſpiciendis rebus contemplatio. Mulier ex adverſo ad libidinem pronior, ad defenſionem imbecillior, & licet in inveniendis technis prompta, tamen viribus ad tuendum imperium inferior, juxta illud *Seneca in Octav. verſ. 865.*

*Dedit natura mulieri pronum malo*
*Animum, ad nocendum pectus inſtruxit dolis;*
*Sed Vim negavit:*

Ergo neceſſe fuit, ut ſummam ſponte marito curam commiſerit. Ex quo deinde illud ſequitur, maritum ſi quid à fœmina aut imprudenter aut minus recte geſtum fuit, admonere de hac re fœminam potuiſſe, imo renitentem reducere ad officium, aut jure belli, quod inter ſocios interdum oritur, quo ſpectat illud Excell. Titii monitum, quod ſupra retulimus, aut jure officii Cenſoris, quod aliquam poteſtatem emendandi metu aut caſtigatione mores illius, quem dirigo, conjunctam neceſſario habet. Levis tamen erit hæc diſciplina, imo cum par hic ætas, parque ſit conditio, magis conſilio, quam imperio regenda erit uxor, ac

mariti

Digitized by Google

mariti poteſtas erit, prudentia præire uxori, uxoris obſequium, ſequi. Non tamen dixerim jam inter maritum & fœminam coaluiſſe vinculum, ut nec mutuo diſſenſu ſolvi poſſit. Quid enim magis naturale, quam rem eo modo diſſolvi, quo colligatum eſt? Cujus magis intereſt conſentire aut diſſentire quam conjugum? quid impedit diſſolutionem? num peculiaris quædam matrimonii ſanctitas, quam plerumque jactant? ſed quænam quæſo? Eam omnino negamus, ac ſcrupuloſis his ſanctis objicimus illud Davidis: *in peccato genitus ſum, in peccato concepit me mater.* Nec alia in novo fœdere matrimonio ſanctitas acceſſit, de quâ re *vid. Dn. Joh. Samuel Strykii Diſſert. de reliquiis Papal. in cauſis matrim:* Quod ſi itaque concubitus vitio non caret, quid quæſo inter conjuges ſanctum erit? Mutua fortaſſis fides, mutua ſocietas. Sed quæ religio ineſt omnibus pactis, & quæ liberrimi arbitrii eſt ac eſſe debet, quam dirimere eadem voluntate poſſumus, qua glutinamus. Imo unius diſſenſu talis ſocietas tolli poteſt, ea naturali ratione, quod ſocios diſſentientes non facile ad manendum in fœdere cogi oporteat, quia omnis ſocietas eſt mater diſcordiæ. Altera conſideratio erat, ſi fœmina in ſeparatam familiam ſe marito tradidit cum pacto ſe defendendi expreſſo. Qui finis jus Clientelare marito conciliat. Atque clientem non ſaltem comiter venerari imperium patroni oportet, ſed & Patronus jus habet, ſi quid cliens contra ſuum decorem, commodumque committit, emendandi & clientem caſtigandi. Atque in eo maxime differt Socius à Cliente, quod in illo par utriuſque ſalutis ac commodi ſit ratio, in hoc major patroni, eamque ob cauſam frequentior occaſio iraſcendi, durior modus caſtigandi. Imo talis cliens non prope abeſt à ſubdito & ſervo. Etſi enim libertatem retinere dicatur, uti aſſerit & probare exemplis conatur. *Grot. L. 1. cap. 3. §. 21. n. 3.* alibi tamen demonſtravit *Illuſt. Dn. Thomas.* Clientelam interdum duriorem eſſe ſervitute. Qui enim ſervus eſt, facit, quod imperatum eſt, nec ultra tenetur: Cliens, præter hæc omnia, quæ ad ſervandam gratiam victoris aut potentioris pertinent, afferre cogitur, ut adeo Patrono ſemper pateat occaſio clientem ſupprimendi. Neque diſſimulare Grotius poteſt, Patronis imperandi clientibus jus eſſe, Clientibus parendi officium impoſitum, imo ex Civitatibus fœdere junctis, reos apud Romanos factos, in eoſque animadverſum fuiſſe. Quæ ſi vera ſunt, quid inter clientem interſit ſubditumque præter nomina, non video. Ergo & uxor admiſſa à marito in fœdus inæquale, Cliens erit non ſocia; i. e. co-

Si ſe tradidit marito cum pacto defendendi.

miter obſervare mariti imperium tenebitur, ejus gratiam ſtudio ac obſervantia colere *L. 14. fin. ſol. matrim.* nec quicquam committere, quod contrarium voluntati mariti eſſe conjiciat, imo vocare eum Dominum ſuum *L. 57. de Donat. int. Vir. & Uxor.* Quæ ſi negligit, non declinabit rudem aliquando Cenſuram Viri. Alterum, quo cliens fœmina differt à ſocia, hoc eſt, ut cliens non pro lubitu renunciare fœderi poſſit, quod poſſe æqualem, ſupra oſtendimus. Jus habet ſocius, inquit, *Grot. all. loc. n. 5.* cogendi ſocium, ut ſtet fœderis legibus, atque etiam, ni ſteterit, puniendi. In quo eum cum æquali ſocio convenire perperam credit. Namque in ſocietate æquali par commodum utriuſque, par dignitas, par ſtatus. In Cliente majus commodum Patroni, major ſubjectio Clientis, quam exuere ſine ſcelere nequit. Hoc amplius, ſi contingit, fœminam venire in poteſtatem mariti captivitate, præter clientelam, jus habebit vitæ & necis in fœminam captivam. Quod jus cum nullos habeat limites, ſummum ac abſolutum in fœminam dabit imperium.

## §. VIII.

At vero in Civitate omnia hæc ſecus ſe habent. Nullibi in alterum infinita poteſtas, quæ in ſolum Magiſtratum translata eſt. Nulli jus omnium in omnia, poſtquam dominia inventa & ſuis terminis circumſcripta. Ergo tum ordo, quo maxime omnium in omnes injuriæ prohibentur, tum cupido ſibi quærendi heredem, ad quem congeſtum divitiarum cumulum tuto tranſmittere queas, ſingula matrimonia invexit. Hinc jura connubii, ſanctitas matrimonii, hinc inceſtus, prohibiti gradus, pudorque eam ſubigere, quam matrem veneratus, tunc familia, domus, gens, neceſſitudo & cognatio. Atque cum civitas aut quærendi imperii gratia quod hiſtoriæ annales confirmant, aut libertatis tuendæ cauſa coaluerint, utrumque vero ab imbelli fœminarum turba minus promte efficiatur, facile cognoſcimus Viros munera publica ad ſe rapuiſſe, quod jam ſupra in ſtatu ſeparatæ familiæ monuiſſe meminimus. Quæ cum ita ſint, conſequitur, Viris ſimul eminentiorem in omni imperii genere locum ultro à fœminis conceſſum eſſe, adeoque nec regimen in familia, ſuoque corpore moribuſque, nec negari potuiſſe, nec negatum eſſe. Uti enim imperium opinione virtutis facile retinetur, quod vi quæſitum eſt, ita quod mariti ſeu defenſione ſeu prorogatione imperii, ſibi imperium paraverant, exiſtimatione prudentiæ in obeundis muneribus publicis non difficulter conſervarunt.

Sed

Digitized by Google

Sed tamen non ea ratione exercuerunt, qua forſan potuere in ſtatu ſeparatæ familiæ. Nulla in civitate ſummitas, præter ſummum Magiſtratum, ſi qua alii poteſtas relicta, iis cancellis incluſa videbitur, qui ſalvam ſummi imperii majeſtatem reddunt. Atque in eo genere ſana eſt Puſendorfii Philoſophia, eam eſſe Patrisfamilias in familiam poteſtatem, qua componere mores familiæ ad ſalutem reipublicæ poſſit. Ergo coercitio non demitur, ſi modica ſit, præſertim in uxore, quam cogitabit æque eſſe reipublicæ civem, ac ipſe eſt. Sed nihil in hoc genere definiri poteſt, ſed inſpiciendi ſinguli rerumpublicarum mores, ex quibus nobis Romanorum Germanorumque præcipui erunt.

## §. IX.

Apud Romanos olim uxorem plane in poteſtate ac imperio pleno mariti fuiſſe, compertum eſt atque exploratum. Conveniebat enim in manum mariti *A. Gellius lib. 18. c. 6.* adeoque capite minuebatur, quia in familiam ejus & ſui heredis locum veniebat. *Cujac. ad Tit. XI. Ulpian. de tutel*: Conveniebet autem uxor in manum mariti uſu aut coemtione. *Ita Cicero in Orat. pro Flacco. In manum convenerat. Nunc audio: ſed quæro utrum uſu an coemtione? uſu non potuit. Nihil enim poteſt de tutela legitima ſine omnium tutorum auctoritate diminui: Coemtione? omnibus ergo auctoribus.* Quid autem ſit uſu convenire in manum, id explicat *Gellius lib. 3. cap. 2. Uxor aut eſt in uſu*, inquit, *aut in mancipio; quæ in uſu eſt, anno uſucapitur, niſi ex XII. tab. trinoctium abfuerit uſurpandi cauſa.* Quid coemtio illud optime explanat *Varro lib. 1. de Vita popul. Rom. Nubentes ex veteri lege romana, aſſes tres ad maritum venientes ſolebant ferre, atque unum, quem in manu tenebant, tanquam emendi cauſa marito dare, alium, quem in pede habebant, in foco larium familiarum ponere, tertium in ſacciperone, quem in compito vicinali certo tempore ſolebant reſignare.* Ita vero, inquis, uxor non tam ſub imperio ſeu diſciplina mariti fuit, quam in dominio illius. Sic ajunt antiqui auctores. Apud Euripidem *eſt in Tragœdia Medea*:

ἃς πρῶτα μὲν δεῖ χρημάτων ὑπερβολῇ
πόσιν πρίασθαι, δεσπότην δὲ σώματος
λαβεῖν.

h. e. Quas primum oportet divitiarum excuſſis.
Maritum emere, *dominiumque corporis accipere.*

Confer. Senec. Controvers. 1. 6. Quæ vero fuerint marito in uxorem dominii partes, nunc accipe. Primum uxorem in manu Viri fuiſſe, deno-

Jure Romano antiquo uxor fuit in dominio mariti.

Acquiſita uſu & coemtione.

 no-

notat eam fuiſſe in poteſtate Viri. Manus enim apud Romanos denotat poteſtatem, uti vulgo notum eſt. Ex quo ſequitur, marito in uxorem fuiſſe omne jus, uxori in maritum nullum. Itaque uxori matrimonium adulterinis amoribus polluere nefas fuit, marito juxta uxorem concubinam in ſocietatem admittere,non prohibitum fuit. Ex hac ratione Romulus jam ſanxit,teſte *Plutarch. in Romulo* uxori ex nulla cauſa maritum relinquendi poteſtatem ſuperfuiſſe, ſed maritum ejicere domo uxorem ob adulterium omnino potuiſſe. *Et Dionyſius Halicarn. Antiquit. Roman. lib. 2. cap. mihi 4. ex verſione Æmil. Porti* illuſtrem hac de re habet locum, quem non poſſum non totum adſcribere,cum ad rem, noſtrumque argumentum apprime faciat: ita vero inquit: (*multi legislatores*) *penitus in maxime neceſſariis legislationis partibus errarunt. Et ne longius abeam, cum agitur de nuptiis & conſuetudine Virorum cum fœminis, alii quidem exemplum à brutis ſumentes, ſolutos & communes concubitus maris cum fœmina fecerunt, quod hoc modo humanam vitam ab amatoris furoribus à ſe liberatum iri putarent, quod que Zelotopyam mutuarum cædium cauſam eſſe exiſtimarent: denique quod homines à multis aliis malis, quæ & privatas domos & integras civitates propter mulieres ſoleant invadere, à ſe liberari poſſe, exiſtimarent.* (vides hic novum argumentum eorum, quæ de matrimonii jure in ſtatu naturali ſupra diſſeruimus) *Alii vero expulerunt protervos iſtos & belluinos* (ſi Diis placet) *concubitus, Viros ſingulos cum ſingulis mulieribus jungentes, ſed ut matrimonium & mulierum pudicitia conſervaretur, nullis legibus, nulliſq; verbis aut aſperioribus aut mitioribus cavere ſunt auſi. Sed ab ea re quaſi nulla ratione fieri poſſet abſtinuerunt. Alii vero neq; rebus venereis omnem licentiam dederunt, ut quidam Barbari* (homines ſcil. cultioribus gentibus virtute longe anteriores) *neq; tamen paſſi ſunt, ut Lacedæmonii, uxores eſſe incuſtoditas, ſed leges multas tulerunt, quibus earum caſtitatem conſervarent. Sunt etiam, qui magiſtratum quendam conſtituerunt, cui mulierum caſtitas curæ eſſet, ipſorum tamen providentia huic caſtitati ſervandæ non ſatis proſpexit; ſed remiſſior fuit, quam oportuit, neq; potuit eos, qui eſſent malæ naturæ homines, cogere, ut temperanter viverent. At Romulus cum neq; Viro actionem conceſſiſſet contra uxorem, quæ ſtuprum fuiſſet paſſa, aut quæ injuſte domum reliquiſſet, neq; uxori, quæ maritum rei malè adminiſtratæ aut injuſti repudii accuſaſſet, neq; de dote reſtituenda aut afferenda, ullas prorſus leges tuliſſet, neq; ullam aliam iſtiuſmodi rem determinaſſet, ſed unam tantum ad omnia accommodatam legem conſtituiſſet, effecit, ut mulieres valdè modeſtæ ac pudicæ eſſent. Lex autem hæc*

Maritus adulteram è domo ejicere potuit.

Lex Romuli, quæ privatum marito arbitrium in uxorem conceſſit.

Digitized by Google

*hæc erat.* "*Mulierem nuptam, quæ ex Socratis legibus in manum Viri con-*"
*veniſſet, cum eo omnium bonorum & ſacrarum participem eſſe.*" *Vocabant autem antiqui ſacras nuptias, Romana quadam appellatione rem exprimentes, confarreationem à farris communicatione, quod nos ζέαν vocamus* (de qua re *Plinius lib. 18. cap. 2.* in ſacris nihil religioſius confarreationis vinculo erat, novæque nuptæ farreum præferebant) *Et quemadmodum nos Græci hordeum exiſtimantes omnium frugum antiquiſſimum, in ſacrificiis ab hordeo initium ducimus, vocantes id ὀλὰς: ita Romani, exiſtimantes far eſſe omnium frugum antiquiſſimum & pretioſiſſimum, ab hoc in omni ſacrificio, in quo victima crematur igne, initium faciunt. Ea enim conſuetudo adhuc manet, nec ad priſcam illam frugalitatem quidquam additum eſt. Quod igitur mulieres cum Viris ſacratiſſimi & primi cibi fierent participes & valde bona fortunæ convenirent, ea res appellata fuit farris communicatio, quæ Virum & uxorem, neceſſarii conjugii inſeparabili vinculo, conjungebat: & nihil erat, quod has nuptias poſſet diſſolvere. Hæc lex coegit mulieres nuptas, utpote, quæ nullum aliud refugium haberent, ad unius ſibi mariti mores vitam ſuam conformare, & ipſos maritos, ut rem neceſſariam, & à qua nullo modo divelli poſſent, uxorem retinere. Uxor enim ſi pudica fuiſſet, & marito in omnibus morem geſſiſſet, erat familiæ domina æq; atq; Vir, & indefuncti bona, ut filia in Patris ſuccedebat: & ſi ſine liberis & inteſtatus obiiſſet, erat omnium bonorum relictorum domina, ſi autem liberos habuiſſet, ex æquo cum liberis bonorum particeps erat.* "*Si qua autem in re*"
*deliquiſſet, ipſum, qui injuriam paſſus erat, judicem habebat, qui pœnæ ma-*"
*gnitudinis arbiter erat. De his autem cognoſcebant ipſi cognati cum vi-*"
*ro, ubi violata eſſet pudicitia, & (quod omnium peccatorum leviſſimum vi-*"
*deretur Græcis) ſi quam mulierem vinum bibiſſe conſtitiſſet.*" *Romulus enim hoc utrumq; ut muliebrium delictorum graviſſimum puniri juſſit: quia ſtuprum dementia, ebrietatem vero ſtupri originem eſſe judicavit.*

(Quid confarreatio.)

Et quidem ob violatam pudicitiam & vini uſum.

## §. X.

Illuſtratur Dionyſii ſententia.

Id nimirum ſua oratione indicat Dionyſius, rem uxoriam non ita comparatam eſſe, ut ad judicium referri, aut de ea lex promulgari poſſit, inque eo genere peccaſſe, ſi ex prudentiæ regulis res judicanda, multos legiſlatores, quorum alii nimis laxum libidini mulierum frenum conceſſerint, alii nimis arctis limitibus circumſcripſerint, prudentius verſatum eſſe Romulum, qui nullam quidem in uxorem marito actionem, neque uxori in maritum conceſſerit, religione confarreationis vinculum conjugii conjunxerit, ceterum marito in mores uxoris privatam

tam diſciplinam conceſſerit, atque eam diſciplinam circa id verſatam eſſe, ut mulier mores ſuos ad viri voluntatem accommodet, præſertim vero caſtitatem ſervet, ac vino abſtineat. Quod quidem hactenus ſatis ſe recte habet, & teſtimonio veterum, atque exemplis comprobatur. Illuc enim ſpectat illud Catonis apud *Gellium lib. 10. cap. 23. Vir cum divortium facit, mulieri judex & pro Cenſore eſt, imperium quod videtur habet.* Eleganter dicit pro Cenſore eſt. Et poſt *ipſe Cato in Orat. de dote* ut refert idem *Gellius alleg. loc.* ad antiquum morem reſpiciens, quo marito in uxorem competebat omne jus, mulieri in maritum nullum. *In adulterio*, inquit, *ſi uxorem tuam deprehendiſſes, impune necares, illa te (ſi adulterares) digito non auderet contingere: neq; jus eſt.* Eaque privata & domeſtica diſciplina apud Romanos longa conſuetudine retenta fuit. Etſi enim ipſe *Dionyſius Halicarn. all. ſupr. loc.* dicat: Prudenti hac lege effectum, ut intra DXX. annos apud Romanos nullum matrimonium diſſolutum ſit, primumque fuiſſe Sp. Carvilium, M. Pomponio & C. Papyrio Coſſ. qui uxori ob ſterilitatem repudium miſerit, coactumque à cenſoribus, ut juraret, ſe liberorum ſuſcipiendorum cauſa uxorem repudiare, quod confirmat *Gellius lib. 4. cap. 3.* niſi, quod ponat annum DXXIII. id demonſtrat ſaltem à juris exercitio maritos abſtinuiſſe, ob morum in uxoribus ſanctitatem, jus ipſum remiſſum non eſſe. Et quod dicit Dionyſius, confarreationis vinculum id fuiſſe, ut diſſolvi non potuerit, in eo graviter errat. Confarreatio enim diffarreatione ſolvebatur: Et frequentia fuiſſe apud Romanos divortia, quis tam ignarus eſt, qui neſciat. Namque poſtea non ſaltem ob impudicitiam, ſed quamlibet aliam, ſæpius levem cauſam, uxorem ejectam domo infinita teſtantur exempla. Julius Cæſar Pompejam uxorem repudiavit, quam vitiatam à. P. Clodio fama ferebat, atque etſi in judicio Clodii teſtes eſſe nollet, tamen interrogatus, cur igitur repudiaſſet uxorem. *Quoniam, inquit, meos tam ſuſpicione, quam crimine judico carere oportere. Sueton. in Jul. Cæſ. Cap. 74. Pomponia Græcina inſignis fœmina, Plautio, qui ovans ſe de Britannis retulit, nupta a ſuperſtitionis externæ rea, mariti judicio permiſſa, iſq; priſco inſtituto cum propinqvis* (ut ſupra Halicarnaſſ. retulerat) *de capite famaq; conjugis cognovit & inſontem nunciavit.* Ita Tacit. *Lib. 13. Annal. cap. mihi 32.* Formulam repudii habet *Petron. in Satyr. Quia fidem ſcelere violaſti & communem amicitiam, res tuas agiter tolle, & alium locum, quem polluas, quære.* Atque adnotat *Dionyſius Gothofred. ad L. XII. Tab. tit. 17. de nuptiis ex Plinio*, uxores ob adul-

Marito in uxorem antiquitus jus vitæ & necis competit, uxori in maritum nihil juris.

Primum repudium apud Romanos ob ſterilitatem.

Notatur Dionyſius.

Julius Cæſar Pompejam repudiavit ob ſuſpectam pudicitiam.

Plautius cognovit de uxore ob ſuſpicionem hæreſeos.

Digitized by Google

adulterium & aliud quodvis probrum, ut & ſi Vinum bibiſſet; graviter à maritis fuiſſe caſtigatas. Quæ autem adulterarum caſtigatio fuerit permiſſa, nondum exploratum eſt. Quidam exiſtimant ſcriptum eſſe in lege Romuli: Adulterii convictam Vir & cognati, uti volent, necanto. Sed hanc ſententiam oppugnat *Cujacius lib. VI. obſerv. 25.* & ex Gellio demonſtrat multam plerumque inditam eſſe. Interim *Gothofred. all. ſupr. Loc. ad L. XII. Tab.* morte affectas aliquando uxores privato mariti arbitrio, non obſcure declarat. Inter plura alia exempla refert Egnatii Mecenii uxorem, quod vinum bibiſſet è dolio, interfectam à marito, cumque cædis abſolutum: & aliam Matronam inedia coactam mori, quod loculos, in quibus erant claves vinariæ cellæ reſignaſſet, Cn. vero Domitium mulierem dote mulctaſſe, quæ plus vini bibiſſet Viro inſcio, quam valetudinis cauſa oportuiſſet. Cauſam autem prohibiti vini habet *Valerius lib. 2. cap. 1.* poſt Dionyſium, ne ſcilicet in aliquod dedecus prolaberentur, *quia proximus à Libero Patre intemperantiæ gradus ad inconceſſam Venerem eſſe conſuevit.*

Uxores quandoq; occiſæ.

§. XI.

Atque, quæ hactenus allegavimus cum Halicarnaſſeo conveniunt. Sed quod dicit uxorem, uti ſacrorum ita & bonorum confarreatione factam participem, imo æque imperaſſe familiæ, atque Virum, ſi liberos maritus habuerit, inſtar filiæ ſucceſſiſſe, ſi nullos habuerit, omnium bonorum dominam fuiſſe, in iis recenſendis Halicarnaſſeus ſcriptor à vero aberrat. Quis enim neſcit uxoribus in familia apud Romanos, antiquis temporibus poteſtatem fuiſſe nullam. Sola Patris poteſtas nota fuit, nulla matrisfamilias. Enim vero uxor non voluptatis, ſed dignitatis nomen fuit, uti falſe Aelius Verus uxori ſuæ exprobrat apud *Ael. Spartianum cap. mihi 4.* ſcilicet reſpectu habito ad concubinam, quæ appellatio eſt voluptatis *Cujac. infra.* Sed nunquam fuit nomen imperii aut poteſtatis, imo matrisfamilias nomen naturale eſt, non civile, ut *paulo poſt*, Patris vero familias nomen, non tam dignitatis quam imperii nomen ſemper fuit. Nam præter, quod ab uxoribus & ipſi domini vocentur earumque domini ſint ut Cato ſupra *in Orat. de Dote* demonſtravit, adde *Cujac. lib. 3. Obſerv. cap. 18.* Patrisfamilias poteſtas proprietatis quandam cauſam continet, ſecundum *Paratitl. in Cod. Obſerv. 46. in fine.* Judices ac Magiſtratus ſunt domus & familiæ, ut infra pluribus docebimus, ſolus Pater adoptat, emancipat, exheredem ſcribit, pupillare Teſtamentum facit, ut ex Inſtitu-

Notatur porro Dionyſius.

Paterfamil. nomen imperii eſt, non materfamil.

ſtitutionis principiis primis patet, quæ mater facere nequit, ut ideo dominium æquale habere dici non poſſit. Ut taceam Dionyſium fateri, uxorem filiæ loco antiquitus fuiſſe habitam, eoque loco ſucceſſiſſe, quæ cum dominio familiæ non conveniunt. Quod vero de ſucceſſione uxoris in medium affert, plane verum non eſt. Confutantur enim uno textu *Inſtit. de SCto. Tertull. princ.* Etenim primo conjuges neque jure Digeſt. neque Cod. ſibi mutuo ſucceſſerunt, ante conſtitutionem Theodoſii *in L. ult. C. Theod. de legit hered.* & cujus prima pars à Triboniano relata in *Cod. Juſtin. ſub tit. Unde Vir & Uxor*, qua demonſtratur, antiquo jure conjuges ſoli Fiſco prælatas. Theodoſiana itaque Conſtitutione, Conjuges poſt liberos cum propinquis ad certam partem concurrebant. Etſi L. Papia conjux conjugi ab inteſtato ex decima parte heres eſſet, quam legem cum veteri Theodoſiano confudiſſe Thalelæum *in L. 45. βασιλικῶν tit. 5.* ſcribit Cujac. *L. 3. Obſerv. 12.* Poſtea jure *Novell. 53. cap. 6.* quartam capit conjux ſuperſtes in caſu inopiæ tantum, portionem vero filialem, quanquam jure ſaltem uſu fructus, ſi plures ſint quam tres liberi, cum aliis concurrens, demum pleno jure admittitur *Auth. præterea C. unde Vir & Uxor.* De ſucceſſione liberorum ſic ait *Ulpian. fragm. tit. 26.* Filii hereditas *ex L. XII. Tab.* ad matrem non pertinet, verſa quoque vice matris hereditas *ex L. XII. Tab.* non pertinet ad filium. Ratio eſt, quod ordo ſucceſſionis civilis ſit, nomen vero matris & filii naturale. Unde etſi ordinarie jus ſuccendi capitis diminutione perimatur, poſtquam tamen matri & filiis invicem jus ſuccedendi SCtis Tertylliano & Orphitiano tributum eſt, quia hæ ſucceſſiones non civiles ſunt ſeu antiquæ *L. XII. Tab.* ſed novæ, ideo capitis diminutione non perimi dicuntur *§. 2. Inſt. de SCto. Orphit. L. 1. §. Capitis minut. ad SCt. Tertull.* Ante ergo novam hanc hereditatem mater naturalem ſaltem non civilem in familia conditionem ſuſtinens, non vocabatur ad hereditatem liberorum. Prætores miſericordia moti primum matrem admiſerunt ad ſucceſſionem liberorum per bonorum poſſeſſionem unde cognati *d. pr. Inſt. de SCt. Tertull. & §. 3. Inſt. de legit. Agnat ſucceſſ.* Deinde D. Claudius matri in ſolatium amiſſorum liberorum detulit legitimam hereditatem; Hadriano vero Cæſare SCtum factum, quo mater in præmium πολυπαιδίας ob tres liberos editos, ad bona liberorum admittitur *§. 2. Inſt. ibid.* Conſtantinus deinde Cæſar matrem cum patruo defuncti filii, l. eo mortuo cum ejus filiis æquo jure capere portionem permiſit, *tit. C. Theod. de legit. hered.* Juſtinianus demum ma-

Quæ ratio ſucceſſionis uxorum jure antiquo & novo.

trem

trem ſi fratres aut ſorores non adſint, omnibus reliquis antepoſuit, ita, ut ſororibus exiſtentibus, mater dimidiam, ſorores alteram dimidiam habeant, fratribus autem aut ſolis aut cum ſororibus exiſtentibus, mater cum fratribus in capita concurrat *§. 5. Inſt. ad SCtum Tertull.* quod deinde per *Novell. 118. cap. 2.* ita correctum eſt, ut mater uterinum fratrem excludat, cum reliquis ſive ſororibus ſive fratribus æquis partibus ſuccedat.

## §. XII.

Imo antiquitas, fœminas omni ratione ab hereditate excludere tentavit. Ideoque lege Voconia ultra conſanguinitatis gradum, ſi nempe ſorores ſint, non capiebant hereditatem, in gradu deſcendentium ultra filias non admittebantur *§. 15. Inſt. de hered. quæ ab inteſtato §. 3. Inſt. de legit. agnat. ſucceſſ. Ulpianus libr. ſingulari tit. de legit. hered. ap. Ruffinum tit. 16. Si ſui heredes non ſint, ad conſanguineos*, i. e. *fratres & ſorores ex eodem patre, ſi nec hi ſunt, ad reliquos cognatos virilis ſexus per mares deſcendentes ejusdem familiæ, inteſtati hereditas pertinet: his enim cautum eſt L. XII. Tab. Et Gajus apud eund. Ruffinum tit. 16. Noſtræ hereditates ad fœminas ultra conſanguineorum gradum non pertinent. Itaq; ſoror fratri ſorori ve legitima heres eſt. Amita vero & fratris filia heres eſſe non poteſt.* Quod jus exploratum dicitur, *L. 3. C. de legit. hered.* Rogavit autem Voconiam legem Q. Voconius Saxa, Tribun. Pleb. Q. Martio Philippo & Cn. Servilio Cæpione Coſſ. in hunc modum. *Ne fœminæ ultra conſanguineos ab inteſtato ſuccederent*, quod unum fuit Legis caput, & alterum. *Ne qui Cenſus eſſet, Virginem neve mulierem ſupra quadrantem bonorum ſuorum heredem inſtitueret, pluſve cuiquam legaret, quam ad heredem, heredeſve perventurum eſſet.* Hanc legem ſuaſit M. Porcius, Cenſor ille morum acerrimus, ceu refert *Flor. in Epit. Livii Lib. XLI.* Cujus orationem interiiſſe maxime dolemus. Interim rem ex *Cic. III. in Verrem & Dion. lib. LVI.* refert. *Cujac. not. ad Tit. J. de L. Falcid. p. m. 104. &c.* ac caſtigat Quintilianum, qui *declamat 246.* L. Voconia cautum eſſe putaverat, ne plus ſemiſſe mulieri relinquatur. Cum enim cenſus maximus ſit, qui poſſidet CM. ſeſtertium, quadrans erit XXV. millia ſeſtertium, quod & Dio ita exprimit ὑπὲρ δύο ἥμισυ μυριάδες Præter hos L. Voconiæ meminit Paul. *L. 4. ſent. tit. 8.* Nec ſane legis rationem longius inquirere neceſſe erit. Eadem erit, quæ erat Lycurgi, dotare virgines prohibentis, de qua re vid. *Ælian. hiſtor. Var. 66.* & Trogi Pompeci Epitomatorem *Juſtin. lib. 3. c. 3.* "*Virgines ſine dote nubere juſſit, ut*" *uxo-*

Lex Voconia.

Notatur Quintilianus.

Ratio legis Voconiæ.

*uxores eligerentur non pecuniæ, ſeveriusq́; matrimonia Viri coercerent,“ cum nullis dotis frenis tenerentur.“* Prudenter addit immortalis *Bongarſ. ad h. L. ex Plauto. Viri enim dotibus deliniti, ultro etiam uxoribus ancillantur.* Unde mihi rem acu tetigiſſe videtur *Cujac. ad dict. loc. Pauli* quando hanc Legis Voconiæ rationem affert: *ne diteſcerent mulieres, ac proinde elatæ, æquarent ſe viris.* Adde *Senec. lib. 1. Controverſia 6. ibi omnes uxores divites ſervitutem exigunt.* O ſi eo adhuc ſeculo viveremus! Quare hactenus uxor in manu, poteſtate ac ſacris mariti fuit, ejus Imperio, diſciplinæ cenſuræque morum ſubdita, tantumque abfuit, ut eſſet Domina familiæ, ut nec poſt mortem quidem mariti ei quidquam in familia juris fuerit. Namque, ut jam taceam, eam fœminarum apud Romanos fuiſſe conditionem, ut ſub perpetua tuitione Virorum fuerint, de qua *vid. Diſſert. Inaugur.* Conſultiſſimi Domini Caſpari de Lengerke J. U. D. & Canonici Rev. Capit. quod Patriam ornat. Nobiliſſimi, *de Fœmina Tutrice th. 8.* propter animi levitatem, ut Iſidorus inquit *L. 9. Etymol. c. de Conjugiis in fin.* Ipſa mater non potuit liberis dare tutores, quia liberos non habebat in poteſtate *§. 2. Inſtit. de tutel. L. 1. §. 2. & 4. de teſtam. tutel. L. 4. C. eod.* ſed petere tutores compellebatur, ni faceret intra annum, ſucceſſione impuberis caritura *§. fin Inſt. ad SCt. Tertull. L. ſciant C. de legit. hered.* Ex conſtitutione vero Theodoſii & Valentiniani, ſi pubes pupillus mortuus fuerit, mater non excludebatur, etiamſi tutores non petierit *L. 3. C. ad SCt. Tertull.* qua in re ὡς ἐν παρόδῳ adnoto *ex Cujac. ad d. §. fin. ad SCt. Tertull.* Tribonianum, uti ei ſolenne eſt, interpolaſſe *L. 2. §. confeſtim ff. eod.* ubi verbis Ulpiani adjecit *ex d. l. ſciant, ita tamen, ut nullo modo annale tempus excederet.* Imo nec educationem matri promiſcue permiſſam, niſi inſpectis ejus moribus, *ex ead. laudata Diſſert.* Dn. de Lengerke *th. 9. & ſeqq.* probatur latius. Et ſi divortio facto, quæſtio ſit, apud quem liberi educandi, Imperat. officio judicis hoc committendum eſſe vult *L. 3. C. de alend. lib.* Expreſſum eſt à Prætore *in Edicto de inſpiciend. Ventr. cuſtodiend. partu.* Quod natum erit, his ad quos ea res pertinet, Procuratoribuſve eorum, ſi inſpicere volent, oſtendatur. Apud eum educetur, apud quem Parens juſſerit, ſi autem parens nihil juſſerit: aut is, apud quem voluerit, educari, curam non recipiet, apud quem educetur, cauſa cognita, conſtituam, quanquam matri educationem poſtea commiſerit Alexander. *L. 1. C. ubi pupill. educ.* Nullo autem modo ipſa tutrix eſſe potuit, adeo, ut nec data à Parente admitteretur, uti Papinianus diſerte teſtatur *L. 26.*

*de*

Nec fœminæ poſt mortem mariti jus aliquod in familiam jure antiquo Rom.

Notatur Tribonianus.

Matri olim difficulter educatio permiſſa.

*de teſtament. tutel.* Imo mulier nullum actum legitimum obire poterat, quia iſte in Comitiis peragebatur, cum muliere autem jus Comitiorum non erat Ulpian. *fragment. tit 8.* Ræ vard. *Varior n. 6.* Borcholt. *ad* §. 3. *Inſt. de adopt.*

Nec tutrix eſſe potuit.

§. XIII.

Cæterum, uti Dionyſius Halicarnaſſæus *Antiquit. Rom. alleg. ſup. loc.* aſſerit, aſpera hæc maritorum in fœminas diſciplina, id effecit; ut matronæ Romanæ & pudicitiæ & ſanctitati morum quam maxime ſtuderent. Nec deſunt exempla mulierum Romanarum, quæ virtute, ac tenaci pudoris cuſtodia nominis ſibi immortalitatem compararunt, quas hic referre nimis amplum, atque extra propoſiti cancellos futurum eſſet. Unum tamen atque hoc illuſtre, quod ædificandæ aræ pudicitiæ plebejæ occaſionem præbuit, Q. Fabio & P. Decio Coſſ. prætermittere non poſſum. Id refert *Livius Hiſtor. lib. X. cap. m. 23.* quod ipſis diſertiſſimi ſcriptoris verbis excerpere liceat. *Inſignem*, inquit, *ſupplicationem fecit certamen in ſacello pudicitiæ patriciæ, quæ in foro boario eſt ad ædem rotundam Herculis, inter matronas ortum. Virginiam Auli filiam patriciam plebejo nuptam Volumnio Conſuli, matronæ, quæ è patribus enupſiſſet, ſacris arcuerant. Brevis altercatio: inde ex iracundia muliebri in contentionem animorum exarſit. Quum ſe Virginia & patriciam, & pudicam in Patriciæ Pudicitiæ templum ingreſſam, & uni nuptam, ad quem virgo deducta ſit: nec ſe viri, honorumve ejus ac rerum geſtarum pœnitere vero gloriaretur. Facto deinde egregio magnifica verba adauxit: in vico longo ubi habitabat, ex parte ædium quod ſatis eſſet loci, modico ſacello, incluſit, aramque ibi poſuit: & convocatis plebejis matronis conqueſta injuriam patriciarum. Hanc ego aram, inquit, pudicitiæ plebejæ dedico: vosq; hortor, ut quod certamen virtutis viros in hac civitate tenet, hoc pudicitiæ inter matronas ſit, detisq; operam, ut hæc ara, quam illa, ſi quid poteſt, ſanctius & à caſtioribus coli dicatur. Eodem ferme ritu & hæc ara, quo illa antiquior, culta eſt, ut nulla niſi ſpectatæ pudicitiæ matrona, & quæ uni viro nupta fuiſſet, jus ſacrificandi haberet. Vulgata dein religio à pollutis, nec matronis ſolum, ſed omnis ordinis fœminis, poſtremo in oblivionem venit.* Sed non multo poſt vetus hoc matronarum pariter ac Virorum decus in libidinem luxuriamque verſum eſt. Id primo Hannibalis oppreſſio, deinde Carthaginis excidium effecit. Namque uti Carthaginis æmulatio Romanam virtutem ad ſummum faſtigium evexit, ita & ſublata æmula, ſolutaque urbe metu perdendi imperium orbis, laxata eſt antiqua diſci-

Matronæ Romanæ olim pudicæ.

Ara pudicitiæ plebejæ.

Remiſſa antiqua pudicitia. Luxuriæ Romanæ origo.



Digitized by Google

diſciplina, atque urbs, quæ non vinci ab orbis terrarum nationibus poterat, primo remiſit à prima morum ſanctitate, deinde diffluens laſcivia propria viſcera peſtifera, quæ ex intemperantia impotentiaque oriri ſolet, potentiorum Civium ambitione infecit ac corrupit, ſibique ipſi ultimam ſervitutem attulit. Cum Hannibal pertinaciſſimo bello virtutem Romanam non tam attereret, quam acueret, jamq; ad ipſam urbem contenderet, tantus fuit per urbem omnis multitudinis terror, ut matronæ in publicum diffuſæ, circa Deorum delubra diſcurrerent, crinibus paſſim aras verrentes, nixæ genibus, ſupinas manus ad cœlum ac Deos tendentes, orantesque, *ut urbem Romam è manibus hoſtium eriperent, matresq; romanas & liberos parvos inviolatos ſervarent.* uti eſt apud Livium *hiſtor. Lib. 26. cap. m. 9.* Huc refert *Paul. Diacon. hiſtor. Miſcell. lib. 3. cap. 13. Matronas amentes pavore per propugnacula cucurriſſe, & ſaxa ad muros advexiſſe, primasq; pro muris pugnare voluiſſe.* Medio ardore punici belli C. Oppius Tribunus Plebis Q. Fabio, T. Sempronio Coſſ. tulerat legem: *Ne qua mulier plus ſemuncia haberet auri: neu veſtimento verſicolori uteretur: neü juncto vehiculo in urbe oppidove, aut propius inde mille paſſus, niſi ſacrorum publicorum cauſa, veheretur*, ut Livius habet *hiſtor. Lib. 34. cap. m. 1.* Sed victa Carthagine, cum Roma, peragata ac domita Africa, nullam amplius exercendi virtutem occaſionem haberet, ſed translatis in Aſiam armis, hanc non pugnis, ſed itineribus vinceret, evenit illi quod *Vellej. Paterc. ait Lib. 1. hiſtor. in fin. Alit æmulatio ingenia, & nunc invidia, nunc admiratio incitationem accendit, naturaq;, quod ſummo ſtudio petitum eſt, aſcendit in ſummum: difficilisque in perfecto mora eſt, naturaliterq;, quod procedere non poteſt, recedit. Et ut primo ad conſequendos, quos priores ducimus, accendimur: ita, ubi aut præteriti, aut æquari eos poſſe deſperavimus, ſtudium cum ſpe ſeneſcit.* Ita remota ex oculis palæſtra armorum, Romanorum elanguere paulatim ferocitas, tum exciſa quoque Corintho, ac translata ex ea ingente luxuriarum multitudine, de qua re vid. Flor. *lib. 2. cap. 16.* Vellejus Paterc. *lib. 1.* & Eutrop. *lib. 4. hiſtor.* in eam ſe vitiorum omnium ſentinam rejecit, ut vere dixerit *Flor. lib. 3. cap. 22.* ſe neſcire an ſatius fuerit populo Romano, Sicilia & Africa contento fuiſſe, aut his etiam ipſis carere dominanti in Italia ſua, quam eo magnitudinis ordine creſcere, ut viribus ſuis conficeretur. (a) *Et Livius lib. 39. hiſtor. cap. 6. Luxuriæ, pe-*

(a) Ut videas quæ fuerit tum Romanis in Republ. ornatibus, ruditas, ex Mummii, cui expeditio in Corinthum una cum Metello Coſſ.

*peregrinæ origo, inquit, ab exercitu Aſiatico invecta in urbem eſt: ii primum lectos æratos, veſtem ſtragulam pretioſam, plagulas & alia textilia; & quæ tum magnifica ſupellectilis habebantur, monopodia & abacos Romam advexerunt: tum Pſaltriæ ſambuciſtriæq; & convivalia ludorum oblectamenta addita epulis, epulæ quoq; ipſæ & cura, & ſumtu majori apparari captæ. Tum coquus, viliſſimum antiquis mancipium, & æſtimatione & uſu in pretio eſſe: &, quod miniſterium fuerat, ars haberi capta.*

§. XIV.

Tum quoque matronæ contemnere antiquos mores, affectare luxum, ac abrogationem L. Oppiæ primum tacito voto optare, mox publica vociferatione efflagitare ceperunt. M. Fundanius & L. Valerius tribuni plebis ad plebem, incitatæ & fatigatæ à mulieribus tulerunt de lege abroganda: M. & P. Junii Bruti pariter Tribuni plebs legem tuebantur, nec eam ſe abrogari paſſuros, ajebant. Matronæ, inquit Livius *lib. 34. hiſtor. cap. 1. nulla nec autoritate nec verecundia, nec imperio Virorum, contineri limine poterant: Omnes vias urbis aditusq; in forum obſidebant: Viros deſcendentes ad forum orantes, ut florente republ., creſcente indies privata omnium fortuna, matronis quoque priſtinum ornatum reddi paterentur.* Eam matronarum impudentiam M. Porcius Cato ſenili ambitione, gravi oratione caſtigavit, cujus nos ut lectu digniſſimæ & argumentum noſtrum pulcre illuſtrantis potiſſima capita decerpemus. *Si in ſua quisq; noſtrum matresfamilias, Quirites* (ita orditur Cenſorius ille & aſper morum moderator) *Jus & majeſtatem Viri retinere inſtituiſſet, minus cum univerſis fœminis negotii haberemus. Nunc domi victa libertas noſtra, impotentia muliebri quoq; obteritur & calcatur, & quia ſingulas ſuſtinere non potuimus, univerſas horremus. Atq; ego vix ſtatuere apud animum poſſum, utrum pejor ipſa res, an pejore exemplo agatur, quorum alterum ad nos Conſules, reliquosq; Magiſtratus, alterum ad vos, Quirites, magis pertinet: Nam utrum è republica ſit nec ne, id quod ad vos fertur, ve-*

*ſtra*

Matronæ abrogationem Legis Oppiæ petierunt.

Eam deſuaſit Cato.

mandata fuerat, exemplo cerni poteſt, *qui capta Corintho cum maximorum artificium perfectas manibus tabulas, ac ſtatuas in Italiam portandas locaret, juſſit prædici conducentibus, ſi eas perdidiſſent, novas eos reddituras. Vellej. Paterc. lib. 1. hiſtor. cap. 13.* qui addit. *Non tamen puto dubites Vinici, quin magis pro republica fuerit, manere adhuc rudem Corinthiorum intellectum (ſc. nos ignorare Corinthiorum elegantias) quam in tantum ea intelligi, & quin hac prudentia, illa imprudentia decori publico fuerit convenientior.*

*ſtra exiſtimatio eſt, qui in ſuffragium ituri eſtis. Equidem non ſine rubore paulo ante per medium agmen mulierum ad forum perveni. Quod, niſi me verecundia ſingularum magis majeſtatis & pudoris, quam univerſarum tenuiſſet, ne compellatæ à Conſulibus viderentur, dixiſſem. Qui hic mos eſt in publicum procurrendi vias, & viros alienos appellandi? Iſtud ipſum ſuos quæq; domi rogare non potuiſtis? An blandiores in publico, quam in privato? & alienis quam veſtris eſtis? Quanquam ne domi quidem vos, ſi ſui juris finibus matronas contineret pudor, quæ leges hic rogarentur, abrogarenturve, curare decuit. ,, Majores noſtri nullam ne privatam quidam rem agere fœ- ,,minas ſine auctore voluerunt: in manu eſſe parentum, fratrum, Virorum: ,,nos (ſi Diis placet) jam etiam rempublicam eas capeſſere patimur. Date ,,frænos impotenti naturæ, & indomito animali & ſperate ipſas modum li- ,,centiæ facturas, niſi vos faciatis. Minimum hoc eorum eſt, quæ iniquo ,,animo fœminæ ſibi aut moribus aut legibus injunctum patiuntur. Omnium ,,rerum libertatem, imo licentiam, ſi vera dicere volumus, deſiderant: quid ,,enim, ſi hoc expugnaverint, non tentabunt? Recenſete omnia muliebria ju- ,,ra, quibus licentiam earum alligaverunt majores noſtri, per quæq; ſubjece- ,,runt Viris: quibus omnibus conſtrictas, vix tamen continere poteſtis.,, Quid honeſtum dictu ſaltem muliebri prætenditur ſeditioni? Ut auro & purpura fulgeamus? Inquiunt, ut carpentis feſtis profeſtiſq; diebus, velut triumphantes de lege victa & abrogata, & captis & ereptis ſuffragiis veſtris per urbem vectemur: ne ullus modus ſumptibus ac luxuriæ ſit. Sæpe me querentem de fœminarum, ſæpe de Virorum, nec de privatorum modo, ſed etiam ,,magiſtratuum ſumptibus, audiiſtis, diverſiſq; duobus vitiis, avaritia & ,,luxuria Civitatem laborare, quæ peſtes omnia magna imperia everterunt.,, Hæc ego, quo melior lætiorq; indies Reip. fortuna eſt, quo magis imperium creſcit: & jam in Græciam Aſiamq; tranſcendimus, omnibus libidinum illecebris repletas, & regias etiam attrectamus Gazas: eo plus horreo, ne illæ magis res nos ceperint, quam nos illas. Infeſta mihi credite ſigna à Syracuſis illata ſunt huic urbi, nam nimis multos audio Corinthi & Athenarum ornamenta laudantes, mirantesq; & artificia fictilia Deorum Romanorum ridentes: ego hos malo propitios Deos, & ita ſpero futuros, ſi in ſuis ſedibus manere patiemur. &c.* L. Valerius tribunus plebis hiſce nihil oppoſuit, quam, cum Magiſtratus, ſacerdotes & liberi magiſtratusq; infimi villarum prætextis purpura togis uterentur, purpuram matronis ſine inſigni injuria negari non poſſe. In quam ſi magni ſumtus fieri dicantur, ſaltem permittendum aurum, quod non pereat. Eſſe viris inſignia ſacerdo-

tii,

tii, triumphi, & quæ non? mulieribus nihil præter mundiciem, ornatum & cultum &c. Poſtero die major aliquanto frequentia mulierum ſe ſe in publicum effudit: unoque agmine omnes tribunorum januas obſederunt, qui collegarum rogationi interceſſerant, nec ante abſtiterunt, quam remiſſa interceſſio à tribunis eſt. Nulla deinde dubitatio fuit, quin omnes tribus legem abrogarent: *atq; ita annis viginti poſt abrogata eſt, quam lata L. Oppia*, inque caſſum dicta à M. Porcio, quæ pro ſalute ſe reipublicæ dixiſſe, exiſtimaverat. Abrogata L. Oppia.

## §. XV.

*Sublato hoc Edicto, in quantam licentiam matronæ venerint, quid attinet dicere, cum ſicut & Viri luxuriarentur.* Ita ait Paulus Diacon. *hiſtor. Miſcell. lib. 4. cap. 3.* Atque hoc aſſertum comprobat hiſtoria. Quæ fuerit horrenda bacchanalium uſurpatio, quæ luxuria & profligata matronarum in ſcelus omne, poſtrata omni pudicitia, prona libido & nefanda in omne ſcelus conjuratio, idem recitat Livius *lib. hiſtor. 39. a c. 8. usq; ad 20.* quæ hic referre operæ non eſt pretium. Matronarum luxuria in bacchanalibus ſacris. Detecta ea conjuratio ab Hiſpala Fecenia liberta nobili ſcorto, delata ad Conſulem Poſtumium à P. Ebutio adoleſcente, Hiſpalæ amatore, cujus Pater publico equo ſtipendia fecerat, pupillus relictus, mortuis deinde tutoribus, ſub tutela Duroniæ Matris & Vitrici F. Sempronii Rutuli educatus fuerat, nunc à matre Bacchi ſacris initiandus. Conjuraſſe ſupra ſeptem millia Virorum & mulierum dicebantur. Finis conjurationis fuit *SCtum, quo probibitum, ne qua bacchanalia Romæ, aut in Italia eſſent.* Bacchanalia SCto prohibita. Comprehenſi conjurati, quique ſtupris aut cædibus polluti, qui falſis teſtimoniis aut ſignis adulterinis, ſubjectione teſtamentorum, fraudibus aliis contaminati (tot ſcelera uni rei inerant) capitali pœna affecti, plures necati, quam in vincula conjecti ſunt. *Mulieres damnatæ cognatis, aut in quorum manu erant, traditæ, ut ipſi in privato animadverterent in eas: ſi nemo erat idoneus ſupplicii exactor, in publico animadverſum.* ita Livius *alleg. loc. c. 18.* Matronæ à maritis punitæ. Ex quo loco adnotat Buddeus, ſatis inde evidens eſſe, maribus Romanis in uxores, par animadvertendi jus fuiſſe, ac in ſervos. Sed ſublatis licet bacchanalibus, libido ac laſcivia non ſunt exſtinctæ. Coercuit paululum M. Porcius Cato, cum Cenſor fieret. *Is enim ornamenta & veſtem muliebrem & vehicula, quæ pluris quam quindecim millium æris eſſent,* in cenſum referre viatores juſſit, referente Livio *lib. hiſtor. 39. cap. 44.* Cato luxuriam matronarum coercuit. ſed gliſcente luxu & divitiarum abuſu, cujus primus



au-

autor habitus Lucullus *Vellej. Paterc. lib. 2. hiſtor.* fœminarum impotentia longius graſſata, donec tandem capitibus Virorum inſultaret.

§. XVI.

Cæſares privatum maritorum in fœminas arbitrium ſuſtulerunt.

Primam huic potentiæ facem prætuliſſe videtur Cæſarum, poſtquam ad hos majeſtas pervenit, æmulatio, quod non crederent cum ſupremo ſuo, quod primum affectabant, mox cum odio totius populi duriter interdum exercebant, in omnes imperio convenire pene infinitum illud Patrumfamil: in domum jus arbitriumque. Unde non tantum eorum in fœminas, ſed & liberos, ſervosque dominium vitæ, neciſque primum tacite, circumpoſitis limitibus, moderati ſunt, deinde plane ſuſtulerunt. Teſtimonio nobis eſt lex Julia ab Auguſto lata, ad quam extat Barnab. Briſſon. *elegans ac eruditus Comment.* ex quo potiſſima capita retulit *Roſin. Antiquit. Roman. L. 8. cap. 24.* Fuerunt autem hæc. *Ne quis poſthac ſtuprum, adulterium facito, ſciens dolo malo. Qui fecerit, in Inſulam relegatur. Patri, qui in poteſtate habet, deprehenderit, domi ſuæ generive ſuæ, occidendi jus eſto, dum una cum eo filiam incontinenti occidat. Viro deprehenſo domi ſuæ in uxore ſua adulterum, qui leno fuerit, quive artem ludicram fecerit, l. in ſcenam ſaltandi, cantandiq; cauſa prodierit, judicioq; publico damnatus, neq; in integrum reſtitutus erit, quive libertus ejus mariti, uxoriſve patris, matris, filii, filiæ, utriusq; eorum fuerit, propriusve illorum, l. cum alio communis, quive ſervus erit, occidere liceto. Qui eorum aliquem occiderit, uxorem ſine mora dimittit, Viro adulterum cum uxore ſua deprehenſum, quem, aut nolit ant non licuit occidere, retinere per horas diurnas nocturnasq;, non plus quam viginti, teſtandæ ejus rei cauſa, ut uti ſine fraude jure ſuo poſſit, liceto*, quæ plurimam partem deſumta *ex L. 12. 20. 21. 21. 22. 23. 24. ad. L. Jul. de adult.* Scilicet, is fuit Auguſti animus, ut infringeret abſolutum Patrumfamil. in domo jus & privatum de conjugibus & liberis judicium. Ergo permiſit Patri adulterum occidere, ſed ut & filiam ſimul occideret, quod, cum à paterno in liberos amore abhorreat, non ignoravit, nunquam adulterum occiſum iri. Marito autem, cujus maxime interesset, jus ſuum ſalvum retinere, omnino prohibuit uxorem occidere, adulterum non alia ratione conceſſit, niſi infamis aut levi notæ macula laboraret, ut ſaltem unum tandem haberet, cujus ſupplicio indignantem animum ſatiare poſſet. Ipſe vero judicium fœminarum ad ſe rapuit, cum adulterum in Inſulam ſe relegaturum pronunciavit, ac ad eam rem Patri, maritoque accuſandi legitimo modo viam aperuit, quod erat ipſa re privatam maritorum in uxo-

Lex Julia de adulteriis.

Permittit Patri occidere filiam adulteram cum adultero.

Marito adulterum ſaltem famoſum.

Pater ac maritus accuſare fœminam adulteram juſſi.

uxorem in hoc crimine diſciplinam tollere atque evertere. Videtur autem hanc Auguſti mentem ſuboluiſſe Papinianus JCtus *in L. 22. ad L. J. de adult.* dum ibi inquit §. 4. *Ideo autem Patri, non Marito mulierem & omnem adulterum permiſſum eſt, occidere, quod plerumq; pietas paterni nominis conſilium pro liberis capit: Ceterum mariti calor & impetus facile decernentis, fuit refrænandus.* Atque ut accuſandi neceſſitatem tanto celeriorem redderet Auguſtus, prohibuit, ne uxorem adulteram in domo retineret, ſi retineret, lenocinii damnandus. *L. 2. §. 2. 4. 5. 6. & 7. eod.* qua re dare aliquid voluiſſe dignitati mariti videtur, ſed metu pœnæ adegit ad neceſſitatem currendi ad judicium. Atque hoc ita jus fuiſſe obſervatum, docet nos Ulpian. *cit. L. 2. §. 6.* ubi allegat exemplum Claudii Georgi, Viri Clariſſimi, qui cum deteƈtus eſſet, uxorem in adulterio deprehenſam, retinuiſſe, lenocinio damnatus eſt à Divo Severo. Sed quid ſi maritus calore indignationis abreptus, uxorem trajecerit quoque? Reſpondet D. Pius Imper. *L. 38. §. 8. eod.* *Qui uxorem ſuam in adulterio deprehenſam, occidiſſe ſe non negat, ultimum ſupplicium remitti poteſt, cum ſit difficillimum, juſtum dolorem temperare, & quia plus fecerit, quum quia vindicare ſe non debuerit, puniendus ſit: ſufficit igitur, ſi humilis loci ſit, in opus perpetuum eum tradi, ſi qui honeſtior: in Inſulam relegari.* Neque tamen ſtatim, omne privatum in uxores maritorum arbitrium, hac lege exſtinƈtum eſt, audiemus enim illuſtre contrarium hujus rei exemplum ſub Tiberio, videri tamen poſſunt, ſecretæ artes Tyrannicæ quidem, quæ prudentiæ noſtri juris immixtæ ſunt.

Quid ſi maritus uxorem adulteram occiderit.

## §. XVII.

Alterum, ad potentiam mulierum, momentum attulerunt Auguſtæ, quæ precario omne ad ſe imperium rapuerunt, aliasque ad ſimile tacite exemplum invitantes, omne Virorum jus, omnem majeſtatem, quam Cato appellabat, facile eluſerunt. Livia Auguſti uxor, quam fuerit imperii cupida, ex eo cognoſci poteſt, quod cum Auguſtum procliviorem in furtivos amplexus videret, tantum abfuerit, ut eum dehortaretur, ut potius ipſa, virgines conqueſiverit, ac marito adduxerit ſeni jam, nec adhuc exhauſta tum venere, ipſa vero clandeſtinum uſurparet imperium *Sueton. in vit. Auguſt. cap. m. 70. & 71.* Quam autem ipſe Cæſar in familia ex filiæ & neptis luxuria infamiam contraxerit, ſatis indicat *Sueton. Vit. Aug. c. 69. 70. & 71.* & quam graviter illud tulerit, quamque de ea re opinionem habuerit, patet ex *Taciti verbis Lib. 3.*

Auguſtarum impotentia invitavit reliquas uxores ad ſimile exemplum.

Liviæ dominatus ſub Auguſto.

Infamia familiæ Auguſtæ.



*An-*

Digitized by Google

*Annal. cap. 24. ut valida, inquit, Divo Auguſto in rempublicam fortuna, ita domi inproſpera fuit, ob impudicitiam filiæ ac neptis, quas urbe depulit, adulterosq; earum morte aut fuga punivit. Nam culpam inter viros ac fœminam vulgatam, gravi nomine ipſarum religionum ac violatæ majeſtatis appellando.* Porro cumjam eo producta eſſet fœminarum libido, ut impudentius ad omne genus ſpectaculorum provolarent, prohibuit, ne gladiatores, quos promiſcue ſpectari olim ſolemne erat, niſi ex ſuperiori loco ſpectarent. Athletarum vero ſpectaculo, muliebrem ſexum omnem adeo ſubmovit, ut Pontificialibus ludis par poſtulatum diſtulerit in ſequentis diei matutinum tempus, edixeritque. *Mulieres ante horam quintam venirent in theatrum, non placere allegat. loco Sueton. cap. m. 44.*

Libido fœminarum coercita ab Auguſto.

## §. XVIII.

Liviæ impotentia ſub Tiberio.

Eadem Livia imperante Tiberio, imperium, cujus jam adſueta erat, retinere cupida, ægre ſubmota à Cæſare eſt. Namque non ſolum, uti ſolebat, ſe immiſcere publicis rebus, & accurrere ad incendium, imperandi gratia auſa eſt, ſed & Matrem ſe Patriæ appellari ac Tiberii titulis, eum Liviæ filium eſſe, adſcribi voluit, quod Tiberius ægre declinavit, oſtendens, *moderandos fœminarum honores.* Tacit. *Lib. I. Annal. cap. 14.* imo cum non abſiſteret Livia negotiis imperii, Tiberius paulo liberius admonuit, *quod non majoribus nec fœminæ convenientioribus negotiis abſtineret Sueton. in Vit. Tiber. cap. 50.* Quod utrum Tiberio vitio verti poſſit, non video, addit enim Tacit. *dict. loc. 14. cap. 14. Ceterum anxius invidia* (Cæſar) *& muliebre faſtigium, in diminutionem ſui, accipiens, ne lictorem quidem ei decerni paſſus eſt: aramq; adoptionis & alia hujuscemodi prohibuit.* Atque, uti ſe Virum geſſit in tuendo imperio Tiberius, contra matris impetus, ita maritis quoque antiquum coercitionis jus vindicavit. De hac re ita *Sueton. alleg. ſup. loc. c. 35. Matronas proſtratæ pudicitiæ, quibus accuſator publicus deeſſet, ut propinqui more majorum de communi ſententia coercerent, autor fuit,* & porro; *Equiti Romano jurisjurandi gratiam fecit, ut uxorem in ſtupro generi compertam, dimitteret, quam ſe nunquam repudiaturum ante juraverat.* Memoratu adhuc dignum eſt, ſub Tiberio confarreationis ſacra abrogata, de qua re *Tacitus lib. IV. Annal. cap. 16. ita: ſub idem tempus de Flamine Diali in locum Servii Maluginenſis defuncti legendo, ſimul roganda nova lege diſſeruit Cæſar. Nam patricios confarreatis parentibus genitos, tres ſimul nominari, ex queis unus legeretur, vetuſto more: neq; adeſſe, ut olim, eam copiam omiſſa confarreandi adſuetudine, aut inter paucos retenta, plures*

Tiberius maritis privatam uxorum coercitionem reſtituit.

Digitized by Google

*reſq; rei cauſas adferebat, potiſſimam penes incuriam virorum fœminarumq;. Accedere ipſius ceremoniæ difficultates, quæ conſulto vitarentur, & quando exiret è jure patrio, qui id flaminium apiſceretur, quæq; in manum flaminis conveniret. Ita medendum ſenatus decreto aut lege; ſicut Auguſtus quædam exhorrida illa antiquitate, ad præſentem uſum flexiſſet.* Quam vero pudicitia ea ætate, non dicam neglecta & contemta, ſed potrita, ſubverſa & calcata fuerit, ex ſequentibus Suetonii verbis elucet, quod mulieres, quo licentius libidinem exercerent, non dubitaverint, matronali decore ſe abdicare. *Fœminæ famoſæ, inquit, ut, ad evitandas legum pœnas, jure ac dignitate matronali exſolverentur, lenocinium profiteri cœperant: & ex juventute utriusq; ordinis profligatiſſimus quisq;, quo minus in opera ſcenæ arenæq; edenda ſenatus conſulto tenerentur, famoſi judicii notam ſponte ſubibant. Eos, easq; omnes, ne quod refugium, in tali fraude cuiquam eſſet, exſilio affecit.* Hoc amplius, quod SCto cautum ſit ſub eod. Tiberio: *Ne quæſtum corpore faceret, cui avus, aut pater, aut maritus, Eques Romanus fuiſſet*, referente Tacito *lib. 2. Annal. cap. 85.* quam gravi ſermone ipſe Tiberius epiſtola invehat in luxum, non fœminarum ſaltem, ſed & virorum, cujus jam tum ſua ætate prohibitionem, atque è republica exſtirpationem, opus deſperatum eſſe exiſtimavit, non poſſum me temperare, quin, ob rei gravitatem verborumque elegantiam, apponam ex Tacito *lib. 3. Annal. cap. 53.* ubi oſtendit, dubium eſſe, an adulta jam vitia, quæ coerceri amplius non poſſent, melius eſſet in medio relinquere, quam inbecelli conſilio, ſanare velle. *Neſcio, an ſuaſurus ſim, inquit, P. C. omittere potius prævalida & adulta vitia, quam hoc adſequi, ut palam fieret, quibus flagitiis impares eſſemus. Ego vero, quod primum prohibere, & priſcum ad morem recedere aggrediar? Villarumne infinita ſpatia, familiarum numerum & nationes? argenti & auri pondus? æris tabularumq; miracula? "promiſcuas fœminis & viris veſtes? atq; illa" fœminarum propria, queis lapidum cauſa, pecuniæ noſtræ ad externas aut" hoſtiles gentes transferuntur. Nec ignoro, in conviviis incuſari iſta, & mo-" dum poſci, ſed ſi quis legem ſanciat, pœnam indicat, iidem illi civitatem" verti, ſplendidiſſimo cuiq; exitium parari, neminemq; criminis expertem" clamitabunt."* Digna epiſtola maximo principe, ſed plura ibi ſunt, quæ quamvis ægre brevitatis ſtudio omitto, lectu jucundiſſima. Sed heus lector, condones genio meo, ut patientia tua, non abutar, ſed utar. Sentio enim, me illecebris Taciti abripi in ejus recenſionem. Vide itaque poſtrema Epiſtolæ, plena prudentia Legumlatoris, ac Majeſtate

Pœna fœminarum quæ eludebant SCtum.

Tiberii ætate adulta jam matronarum libido.

Principis. *At hercle nemo refert*, ita pergit Tiberius, *quod Italia externa opis indiget, quod vita populi Rom. per incerta maris & tempeſtatum quotidie volvitur, niſi provinciarum copia, & dominu, & ſervitiis, & agris ſubvenerint, noſtra nos ſcil. nemora, noſtraq; Villa tuebuntur. Hanc P. C. curam ſuſtinet Princeps, hac omiſſa, funditus Rempubl. trahet, reliquis intra animum medendum eſt. Nos pudor, pauperes neceſſitas, divites ſatietas in melius mutet. Bone Deus*, quæ in ferendis legibus prudentia? quæ in promulgandis cautio? Hæc ſcripſiſſe, hæc cogitaſſe Principem ejus ingenii? ſed ad alia.

## §. XIX.

Status mulierum ſub Claudio.

Tiberius Claudius Cæſar, ut eſt apud Sueton. in *Ejus Vit. cap. 11.* Matri Antoniæ divinos honores, & cognomen Auguſtæ detulit, ex cujus exemplo, etſi poſteriorum quædam Cæſarum conjuges, eosdem honores recuſaverint, mos tamen fluxit, ut Auguſtæ Auguſtis pares honore habitæ fuerint. Imitatus exemplum Fl. Domitianus, qui uxorem quoque Domitiam *Auguſtam* conſalutavit, referente Sueton. *in Ejus Vit. cap. 3.* Quæ fuerit ejus ætate morum Romæ corruptio, comprobant ejus leges, quas Cenſor tulit. *In Vita Flav. Veſpaſ.* apud Sueton. *cap. 11. legimus: Eo Cæſare libidinem & luxuriam coercente nullo invaluiſſe. Auctorem Veſpaſianum ſenatui fuiſſe decernendi, ut quæ ſe alieno ſervo junxiſſet, ancilla haberetur.* Atq; Fl. Domitianus *probroſis fœminis, lectica uſum ademit, jusq; capiendi legata, hereditatesq;. Id. in Vit. Domit. cap. 8.* Equitem Romanum, ob reductam in matrimonium uxorem, cui dimiſſæ adulterii crimen intenderat, eraſit judicii albo. Quosdam ex utroque ordine L. Scatinia condemnavit. (quæ quidem lex de impudicis pueris egit *Juvenal. Satyr. 2.*) Sub poſteriorum Cæſarum Imperio, mirum, quantum potentia Auguſtarum & poteſtas mulierum reliquarum crevit! M. Antoninus Philoſophus Fauſtinæ uxori mortuæ, ut honores divini ac ædes decernerentur, à ſenatu impetravit, etſi impudicitiæ fama graviter laboraſſet. De ea Julius Capitol. *in Vit. Antonini cap. 26. Divam Fauſtinam à ſenatu appellatam, gratulatus eſt, quam ſecum & in æſtivis habuerat, ut matrem caſtrorum appellaret.* Cujus quidem Fauſtinæ quanta fuerit impotentia, Jul. Capitol. tam in *Antonini* quam *Veri vitis*, *Vulcatius vero Gallicanus in vita Auid. Caſſii* multis exemplis comprobarunt, in cujus poſterioris vita, Fauſtina pigrum & marceſcentem Maritum in necem Auidii Caſſii incitat, hic vero de virtutibus Antonini Philoſophi ita opinatur: *Marcus Antoninus philoſophatur, & quærit de clementia*

Sub Domitiano.

Sub Veſpaſiano.

Sub Marco Antonino Philoſopho.

Fauſtinæ potentia.

*tia, & de animis, & de honeſto & juſto, nec ſentit pro republica.* Quod judicium & Fauſtinæ auctoritas ſatis indicat ingenium Cæſaris, cujus alias laudes extolluntur, ſed de iis alibi. Ad ultimum faſtigium provexit Heliogabalus, de quo Aelius Lamprid. *in ejus Vita cap. 4.* hæc, *Deinde, ubi primum diem ſenatus habuit, matrem ſuam in ſenatum rogari juſſit. Quæ cum veniſſet, vocata ad Conſulum ſubſellia, ſcribendo affuit, i. e. SCti conficiendi teſtis, ſolusq; omnium Imperatorum fuit, ſub quo mulier, quaſi clariſſima loco viri, Senatum ingreſſa eſt. Fecit & in colle quirinali ſenaculum i. e. Mulierum ſenatum, in quo fuerat ante conventus matronalis, ſolennibus duntaxat diebus, et ſi unquam aliqua matrona Conſularis conjugii ornamentis eſſet donata: quod veteres Imperatores affinibus detulerunt, & his maxime, quæ nobilitatos maritos non habuerant, ne innobilitatæ remanerent. Sed Semiamirica facta ſunt SCta. ridicula de legibus matronalibus: quæ quo veſtitu incederet; quæ, cui cederet; quæ ad cujus oſculum veniret, quæ pilento; quæ equo ſagmario veheretur; quæ carpento mulari, quæ boum & utrum pellicia, an oſſea, an eborata, an argentata, & quæ aurum vel gemmas in calceamentis haberent*, & paulo ante *capite 2. Hic (Heliogabalus) Semiamiræ matri deditus fuit, ut ſine illius voluntate, nihil in Republica faceret.* Ex quibus videri poteſt, quid jam veteres Imperatores mulieribus dederint, quid Heliogabalus detulerit. Non novum erat, matronis inaudita antea & ornamenta & jura concedere, non infrequens Rempubl. mulieris impotentia gubernari; ſed ut fieri ſolet, *ut inviſum ſemel Principem ſeu bene ſeu male facta premant*, *ut ait* oraculum illud Romanæ politices Tacitus *Lib. 1. hiſtor. cap. 7.* inque bono Principe, i. e. qui optimatibus aut ſacerdotibus aut literatis ſtudet, (de qua re vid. *Aelius Lamprid. in vita Alexand. Sever. ibi: amavit literatos homines, vehementer etiam reformidans, ne quid de ſe aſperum ſcriberent*) omnia excuſentur, ita, cum Heliogabalo luxurioſo, uti fateor, Principe, actum eſt. *Cum eo enim cæſa Semiamira mater probroſiſſima, ut ait* Ael. Lamprid. *cap. 18. mulier & digna filio, cautumq; ante omnia: Ne unquam mulier Senatum ingrederetur, utq; inferis ejus caput dicaretur, devoveretur q;, per quem id eſſet factum.*

Status mulierum ſub Heliogabalo.

Senatus Mulierum.

SCta mulierum.

Semiamiræ potentia.

## §. XX.

Sed occiſo Heliogabalo mutatum eſt nomen regiminis, non regimen ipſum. Ait enim ipſe ille Ael. Lamprid. *in Vit. Alexand. Sever. cap. 14. Cum puer* (Alexander) *ad imperium perveniſſet, fecit cuncta cum matre, ut & illa videretur pariter imperare, mulier ſancta, ſed avare & auri atq;*

Status mulierum ſub Alexandro Severo.

Digitized by Google

*atq; argenti cupida.* Atque nimis longum foret, per ſingulos Cæſares exſpatiari, quorum plurimi ipſi in Venerem proni, magis magisque diſciplinam matronarum laxarunt, ut non nunc, utrum Viri earum laſciviam, ambitionem imperiique cupiditatem continere poſſent, ſed an Cæſares eæ cohibendæ ſufficerent, quæſitum jure merito ſit. Pauca adhuc hæc adnoto. De D. Aureliani diſciplina hæc habet Fl. Vopiſcus *in ejus Vit. cap. 45. & 46. Veſtem holoſericam, neq; ipſe in veſtiario ſuo habuit, neq; alteri utendam dedit. Et cum ab eo uxor ſua peteret, ut unico pallio blatteo ſerico uteretur, ille reſpondit: abſit, ut auro fila penſentur: libra enim auri, tunc libra ſerici fuit. — Idem conceſſit, ut blatteas matronæ tunicas haberent, & cæteras veſtes, cum antea coloreas habuiſſent, & ut multum oxypæderotinas.* De Conſtantio aſſerit *Ammian. Marcell. Lib. XXI. hiſtor. cap. 33.* eum uxoribus nimium addictum fuiſſe, cujus prima uxor Euſebia, ejus imperium interdum crudeliter abuſa eſt. *Conf. Lib. 19. §. 22.* & omnino quæ habet *Lib. 28. cap. 20. 21. & ſeq.* ubi luxurioſum Virorum pariter ac fœminarum ſub Valentiniano ſtatum ob oculos ponit. *Parte alia uxor,* inquit, *ut proverbium loquitur vetus, eandem incudem diu noctuq; tundendo, maritum teſtari compellit, hocq; idem, ut faciat uxor, urget maritus inſtanter & periti juris altrinſecus adſiſcuntur, unus in cubiculo, alter ejus æmulus in triclinio, repugnantia tractaturi iisdemq; ſubſeruntur genitalium extorum interpretes controverſi, hinc præfecturas profuſius largientes, & ſepulturas divitum Matronarum, inde ad exſequias Virorum fœminas invitantes &c.* Vides hoc ſeculo matrimonia non amore, ſed divitiis cenſita, imperium familiæ non majeſtate maritali, quam Auguſtus ajebat, ſed pecunia, à pecunioſiori conjuge raptum uſurpatumque. Valentinianus Pater, referente Jornand. *de regnor. ſucceſſ. p. 54. laudante Severa uxore ſua, pulchritudinem Juſtinæ, ſibi eam ſociavit matrimonio, legesq; propter illam conceſſit, ut omnes Viri, qui voluiſſent, impune bina matrimonia ſuſciperent, & ideo populoſa Parthorum gens eſt, quia hoc apud eos ſolemne eſt, & multarum uxorum unus aditur Vir.* Juſtinianus denique, ut ad hunc veniamus, quantum Theodoræ non ſaltem ancillatus ſit, ſed quam turpiter omne in fœminas imperium maritis abrogaverit, quid multis opus eſt edocere; cum ab aliis jam tum id latiſſime excuſſum ſit. Theodoræ impotentiam loquuntur paſſim *Leges: Novel. 8. tit. 3. & cap. 1. Pragmat. ſanct. Juſt. cap. 1.* quibus reverendiſſima conjux, particeps imperii, imo Dominus plane appellatur, & in conſilium ab Imperatore adhibita dicitur, loquuntur hiſtoriæ, quod furor ejus

Sub Aureliano.

Sub Conſtantio.

Sub Valentiniano.

Valentinianus conceſſit polygamiam.

Status mulierum ſub Juſtiniano.

Theodoræ potentia.

ejus & muliebris faſtus, prudentiſſimos ab Imperatore alienaverit, Cæſarem bellis imparibus implicaverit & inter alios, Longobardos in Italiam, intempeſtiva Narſeti facta exprobratione, intromiſerit, de qua re poſt *Procop. hiſtor. anecdot.* vid. *Paul. Diacon. hiſtor. miſcell. Lib. 16. cap. 16. Jornand. de ſucceſſ. temp. cap. 120. Paul. Warnefrid. de geſt. Longobard. Lib. 2. cap. 5.*

## §. XXI.

Sed Juſtinianum, aut potius Theodoram, omne circa muleres jus commutaſſe, paucis videamus. Illud vero facile ex eo intelligi poteſt, ſi quod hodienum ex Cod. & Novell. habent fœminæ jus, cum eo conferamus, quod antiquis moribus habuerunt. Hodie mulieri ſummum in dote competit dominium, olim in manu ac poteſtate Viri, nihil potuit habere proprium. Hodie, ne caſtigari quidem honeſte uxor poteſt, olim mulctari, dote, repudiari, imo morte affici potuit. In qua re multa ſunt notatu digniſſima. Mutationi occaſionem præbuit, quod hactenus diximus, primo Romana luxuria, quæ tenerum nobis in ſexum ſequiorem inſpirat affectum, deinde faſtigium Auguſtarum, ad quarum exemplum, emortua Repub. libera, primum illuſtres, mox nobiles, Matronæ & deinde plebejæ muiierculæ incitatæ ſunt, poſtea divitiæ, quod primo loco poni oportebat. Tum maritorum querelæ, uti Demænetus ſenex dicit apud Plaut. *in Aſinar. Argentum accepi, dote imperium vendidi.* Unde non infrequens eſt, uxores dominas appellari *L. 38. §. 4. & L. 41. ibi rogo te domina uxor de Legat. 3. L. 9. §. 1. de annuis Novel. 74. cap. 4.* Nos de ipſo dotis dominio non diſputabimus, penes quem, aut antiquitus fuerit, aut nunc eſt. Vide interim Ampliſſimi *Dom. Erici Wondenhofii J. U. D. & Secretarii Capit. Hamb. merentiſſimi Diſput. Inaugural. de libertate teſtandi ſtatutis Hamburgenſibus reſtricta §. 20. & 21.* Quatenus tamen ad diſciplinam dos quidquam confert, paucis attingamus. Antiquitus dotem in dominio Mariti fuiſſe, evincunt veſtigia, quæ de eadem re in jure noſtro habemus, quamvis ſubdubia & incerta. Paulus ſtatim ab initio *Lib. 1. de jure dot. dotis cauſa perpetua eſt, inquit, & cum voto ejus, qui dat, ita contrahitur, ut ſemper apud Maritum ſit.* At quam L. Gothofred. hæc annotat: *his verbis ſignificatur, ex dotis cauſa dominium acquiri Marito.* De fundo dotali Ulpianus *in L. 13. §. 2. de fund. dotal. dotale prædium ſic accipimus, cum dominium Marito quæſitum eſt.* Clariſſime Diocletianus & Maximus Imperator *in Lib. 23. C. de jur. dot. Si prædium uxor tua dotale venundedit, ſponte nec ne contractum*

Quid juris uxoribus competat jure Juſtinianeo.

Dos antiquo jure fuit in dominio mariti.

 *ratum*

*ratum habuerit, nihil intereſt: cum rei tibi quaſita dominum auferre nolenti minimè potuerit.* Imo, cum uxor fuerit in poteſtate mariti, ita, ut jus vitæ & necis in eam non habuerit ſaltem, ſed & exercuerit, dominum quoque rerum ejus, cujus corpus meo dominio, parebat ad me pertinuiſſe, manifeſtum eſt. Adde, naturaliter traditionibus transferri rerum dominia *L. 20. de pact.* *§. 4. I. de rerum div.*, atque cum traditione dos à marito adquiratur, conſequens eſt, ut & dominium transferri dicamus. *L. 13. §. 2. de fund. dotal. L. 5. ſolut. matr. L. 1. C. de dotis Caut.* Atque ideo eſt, quod adhuc Juſtinianeo ſeculo, maritus diſerte dominus dotis appelletur *pr. J. quibus alien. lic.* Primum mariti dominium dubium feciſſe videtur, nimia ea repudii divortiique licentia. Namque cum maritus antiquis temporibus arbiter eſſet morum mulieris, eosq; ſuo lubitu caiſtgare poſſet, uti ſupra demonſtravimus, accidebat, ut ſæpius uxores dote à Viris mulctarentur, adeo ut & tum una omnium ſententia fuerit, muliere repudiata, dotem apud virum remanere. Ex Horat. *Lib. 1. Satyr. 2. Dempſerus ad Roſini Antiquit L. 5. cap. 27.*

Uxores à maritis dote mulctatæ.

*Janua frangatur, latret canis: undiq; magno*
*Pulſa domus ſtrepitu reſonet, vel pallida lecto*
*Deſileat mulier, miſeram ſe conſcia clamet:*
*Cruribus hæc metuat, doti deprenſa.* ——

ad quem locum affert adnotationem *Helen. Acron. Antea adultera dotem tantum perdebant.* Sed ſupra audivimus, inter graves cauſas quoq; habitum fuiſſe, vini uſum & hæreſin. Ergo puniri quidem hactenus fœmina poterat, maritus non poterat. Deinde vero cum potentia fœminarum indies creſceret, Virorum majeſtas diminueretur: maxima circa repudium, de reſtitutione dotis mutatio orta eſt. De ea re audiamus Ulpianum *in fragm. tit. 6.* planiſſimè, ut ſolet, rem docentem. *Dos aut datur, aut dicitur, aut promittitur, dotem dicere poteſt mulier, parens, avus paternus. Dare, promittere dotem omnes poſſunt. Dos autem profectitia, i. e. ea, quæ à quovis alio data eſt Mortua in matrimonio muliere, dos à patre profecta ad patrem revertitur, quintis in omnes liberos in infinitum relictis, penes Virum. Quod ſi pater non ſit, apud maritum remanet. Adventitia autem dos ſemper penes maritum remanet, præterquam ſi is, qui dedit, ut ſibi redderetur, ſtipulatus fuit, quæ dos ſpecialiter receptitia dicitur. Divortio facto, ſiquidem ſui juris ſit mulier, ipſa habet actionem i. e. dotis repetitionem. Quod ſi in poteſtate Patris ſit, Pater adjuncta filiæ perſona, habet actionem re vera, nec intereſt adventitia ſit dos an profectitia. Poſt divortium, defuncta muliere, heredi ejus actio non aliter datur, quam ſi moram in*

Deinde dos facto repudio reſtituta.

Digitized by Google

*in dote reddenda maritus fecerit. Dos, ſi pondere, numero, menſura, contineatur, annua, bima, trima die reddetur, niſi, ſi, ut præſens reddatur, convenerit: reliquæ dotes ſtatim redduntur. Retentiones dotis fiunt, aut propter liberos aut propter Mores, aut propter impenſas, aut propter res donatas, aut propter res amotas. Propter liberos retentio fit, ſi culpa mulieris aut patris, cujus in poteſtate eſt, divortium factum ſit, tum enim ſingulorum nomine, ſextæ retinentur ex dote: non plures tamen quam tres ſextæ in retentione ſunt, non in petitione. Dos quæ ſemel functa eſt, amplius fungi non poteſt, niſi aliud matrimonium ſit. Morum nomine graviorum quidem ſextæ retinentur, leviorum autem octavæ, graviores mores ſunt, adultera tantum, leviores, omnes reliqui: Mariti mores puniuntur in ea quidem dote, quæ à die reddi debet (legendum quæ annua, bima, trima, die reddi debet (ob ſiglum A.) propter) ita propter graviores mores, præſentem reddit propter minores, ſenum menſium die &c.* Quem locum pene integrum appoſui, quod brevem omnis dotis naturæ explicationem contineat. Atque ex eo loco videri poteſt, maritum dotem profectitiam, mortua uxore reſtituiſſe Patri, ſi non adfuerit, retinuiſſe, adventitiam indiſtincte retinuiſſe: niſi ſtipulatione interveniente, reſtituere danti coactus. Divortio facto, diſtinguebatur, utrum culpa mariti, an vero mulieris factum, an vero neutrius, ſi ſcil. bona utriusque voluntate utrinque diſceſſum ſit. Atque tum priori caſu, utrum ob graviores, an leviores cauſas, an vero aliam culpam. In cauſis gravioribus, maritus reſtitutione præſenti dotis, quam niſi annua, bima, trima die reſtituere tenebatur: in levioribus, ſenum menſium diei redditione, mulier in illis ſextis, in his octavis dotis mulctabatur, ſi culpa fœminæ aut Patris, in cujus poteſtate eſt, divortium factum, non aliter fœmina punitur, niſi retentione ſextarum, nomine ſingulorum liberorum. Si nulla culpa ab utroque commiſſa, nihilominus ob liberos ſexta retenta: ſi mulier in matrimonio mortua ſit, quintæ pro liberis retentæ. Dos repetita ab uxore aut Patre, actione rei uxoriæ, ab extranea, actione ex ſtipulatu, ſi ſtipulatio interceſſerit.

Retenta dos ob mores.

## §. XXII.

Sed non conveniunt omnia cum ceteris JCtis. Quod mulierum ob mores majores dote mulctari poſſit, in eo omnes conſpirant, adeo ut Paulus ſcribat, non valere pactum, ne de moribus agatur *L. 5. de pact. dotal.* ne, inquit, JCtus publica coercitio privata pactione tollatur. Sed quod ait, inter graviores mores ſolum adulterium compre-

Graviores mores qui.



hen-

henſum, eosque ſexta demum dotis mulctatos eſſe, id confutat, primum *L. 8. de captiv. & poſtlimin.* in qua Paulus ſcribit, non à marito uxorem recuperari poſſe, uti reciperatur uxor, ſed hæc ſaltem, ſi voluerit & alii nondum nupta iterum eſt. Quod ſi voluerit, nulla cauſa probabili interveniente, pœna diſſidii teneri. Ergo deſertio malitioſa punita quoqne fuit, ac habita inter gravioret cauſas; quæ mulctarentur non ſexta, ſed tota dote & ἀντιφέρνα, ut eſt expreſſa hæc pœna diſſidii *in L. 7. & 8. §. 4. C. de repud.* Quanquam, quod ad pœnam expreſſam ab Ulpiano attinet, nolo, quidem ejus ſextam accuſare, ſed potuit pœna à poſterioribus Cæſaribus exaſperari. Atq; illud illuſtrat locus Paul *in fragm. tit. de dotibus*, ſi divortium ſine culpa mulieris fiat, dotem integram repeti, ſi contra, in ſingulos liberos ſextam partem dotis, usque ad mediam ejus partem duntaxat retineri. Ceterum ex his diſcimus, jam tum mutuam in Conjugibus fidem poſtulatam in legibus fuiſſe, cum olim jus fœminæ in maritum, ceu ſupra demonſtravimus, eſſet nullum. Namque pariter maritus, quanquam non pari pœna, ſi fidem violaverit, punitus eſt. Deinde nec marito amplius repudiandi uxorem, quando & qua demum ex cauſa libertas relicta eſt, ſed præſcriptæ cauſæ, extra quas evagari illi non licuit. Sed tamen hactenus bona utriusque voluntate divertere, unum ab altero permiſſum fuit, quod Alexander conceſſit, nec plane abrogatum in poſterioribus temporibus eſſe, vincit, *L. 9. C. de repud.* Verum, utrum ſterilitas uxoris fuit inter cauſas repudii? Non fuit quidem inter cauſas morum; ſed licuit tamen divertere ab uxore ob ſterilitatem. Primum enim Romæ divortium ob ſterilem uterum factum fuiſſe, ſupra retulimus. Ergo & adhuc per antiquam prudentiam juris licuit. Ita Hermogenian. *L. 60. §. 1. de donat. inter Vir. & uxorem. Divortii cauſa donationes inter Virum & uxorem conceſſa ſunt: Sape enim evenit, uti propter ſacerdotium vel ſterilitatem.* ſcil. diſſolvitur matrimonium. Sed ut hoc idem Hermogen. *L. 62. eod.* explicat, bona ſaltem gratia, i. e., ſine diſſidio, ſine controverſia, & ob quod nulla divertens pars, pœna afficitur. Atque inter eas cauſas, ex quibus divortium, bona utriusque Conjugis gratia, fieri poſſe, conceſſerunt veteres JCti, fuit ſterilitas, tum ſacerdotium, uti ſcilicet ſacerdotibus fœminam habere, nefas eſt, Gajus *Lib. 61. eod. addit.* ſenectutem, valetudinem & militiam, quibus junge adhuc captivitatem *L. 1. de divort.* & ſervitutem denique *L. 3. C. de Inceſt. nupt.* Non enim inter ſervos eſt matrimonium.

Bona gratia à ſe invicem diſcedere conjugibus permiſſum.

An ob ſterilitatem.

Ob ſacerdotium.

Ob ſenectutem, valetudinem, militiam, captivitatem.

§.

## §. XXIII.

De jure Mariti noviſſimo in dotem & παράφερνα uxoris.

Ex quibus hactenus dictis, credo intelligi poſſe, quam ſit mariti, non in fœminæ corpus ſaltem, ſed bona, etiam jus maxime inverſum & diminutum. Unde jam tum Ulpianus dixit, dotem ſaltem in bonis mariti eſſe. *L. 7. §. 3. de jur. dot.* Tryphoninus autem *in L. 75. eod.* aperte ita: *Quamvis in bonis mariti dos ſit, mulieris tamen eſt:* & merito placuit, ut ſi in dotem fundum inæſtimatum dedit, cujus nomine duplæ ſtipulatione cautum habuit, isque marito evictus ſit, ſtatim eam ex ſtipulatione agere poſſe. De παραφέρνοις autem, quid JCti ſenſerint. vid. Ulpian. in *Leb. 9. §. 3. eod.* ubi ea ſaltem in cuſtodia mariti eſſe aſſerit.

Mutatio maritalis juris ſub Cæſaribus Chriſtianis.

Cum autem Cæſares Rom. ad Chriſtiana ſe ſacra converterunt, jam longe alia matrimonii ſpecies effecta eſt. Quam enim hactenus mariti poteſtatem circumſcripſerunt Ethnici Principes, quod forſan ſummo ſuo, in omnes atque omnia imperio, non convenire putaverint, infinitum patrumfam. arbitrium, unde & ſtatim cenſoriam adulterarum coercitionem ad ſe traxerat Auguſtus, lata L. Julia, uti ſupra oſtendimus, eam Maritis omnem ademerunt Chriſtiani Cæſares. Etſi enim nec Sacra Scriptura, tollat ſuperiorem maritorum in mulieres facultatem, vid. *Eph. V. 22. ſeqq. Col. III. 19. 1. Pet. III. 7.* nam & hic quoque reſpiciendum, non tantum ad id quid licitum, ſed quid honeſtum ſit.

Theodoſius ipſe per Judices in mores uxorum inſpexit.

Theodoſius tamen Imp. ut aliorum jam conſtitutiones præteream, maritis omnem poteſtatem divertendi ab uxore, ſive bona gratia, ſive judicio ſuo cognatorumque, quod hactenus adhuc licuerat, abſtulit. Dedit enim judices ipſe, non maritum conſtituit, qui de moribus conjugum cognoſcerent, ac pronunciarent, uter ex iſtis videretur cauſam dediſſe diſſidio. *L. de moribus C. Theod. de dotibus. L. 4. C. Theod. de inceſt. nupt. L. 1. C. Theod. vict. civil. crim. ag. poſſes.*

Quos mores divortio ſufficere pronunciaverit.

Quas autem cauſas voluerit ſufficere repudio, id declarat *L. 8. §. 2. C. de repud.* *Si quæ igitur maritum ſuum adulterum, aut homicidam, aut veneficum, vel certe contra noſtrum imperium aliquid molientem, vel falſitatis crimine condemnatum, invenerit, ſi ſe pulcrorum diſſolutorem, ſi ſacris ædibus aliquid ſubtrahentem, ſi latronem, vel latronum ſuſceptorem, vel abactorem, aut plagiarium, vel ad contemtum (ſui) domuſve ſuæ ipſa inſpiciente, cum impudicis mulieribus (quod maximè etiam caſtas exaſperat) cœtum ineuntem, ſi ſuæ vitæ veneno, aut gladio, aut alio modo inſidiantem, ſi ſe verberibus, quæ ingenuis aliena ſunt, afficientem probaverit, tunc repudii auxilio, uti neceſſario permittimus libertatem & cauſas diſſidii legibus comprobare.*

Marito verberare uxorem prohibitum.

Hac lege ma-



Digitized by Google

maritorum Majeſtati parentatum eſt. Non amplius inquirendi poteſtas in mores mulierum relicta, non jus vitæ & necis ſervatum, imo mulieri cenſura morum marito addicta. Ipſe, ſi maritus impudicus ſit, ſi in Cæſarem committat &c. videat, inquit Imperator. *Nec amplius libertatem & ingenuitatem verberibus attentare* auſus eſt maritus. Vid. *in ead. L. §. 3.* cauſas morum, ob quos mulieri nuncius miſſus. Qui conveniunt cum iis, quos de maritis recenſuimus, præter, quod mulierem expellere quoque liceat, *quæ ignorante, vel nolente marito convivia appetierit, ipſo invito, ſine juſta & probabili cauſa abnoctaverit, vel circenſibus, vel Theatralibus ludis, vel arenarum ſpectaculis gaviſa fuerit &c.* quibus in cauſis marito permittitur cauſas diſſidii Legibus comprobare & diſcedere ab uxore. Nec tamen adhuc Papale, illud ſanctitatis peculiaris commentum fundamentum matrimonii ac divortii habitum, quod oſtendit *princ. alleg. leg.* in quo nihil aliud reperio, quam mutuo diſſenſu (ſeu bona gratia, uti hactenus permittebatur) ut diſſolvatur matrimonium prohibere favorem liberorum.

Mores mulierum.

## §. XXIV.

Intermiſſa obſervantia hujus legis.

Nec tam prorſus legem hanc obſervatam fuiſſe, conjicio ex ſequentibus LLbus. Anaſtaſius enim Imperator *L. 9. C. de repud. ſi conſtante*, inquit, *matrimonio communi conſenſu tum Viri quam mulieris, repudium ſit miſſum, quo nulla cauſa continetur, quæ conſultiſſimæ Conſtitut. Divæ memoriæ Theodoſii & Valentiniani inſerta eſt: Licebit mulieri, non quinquennium exſpectare, ſed poſt annum, ad ſecundas nuptias convolare.* Vides prohibitum quidem communi conſenſu, matrimonium diſſolvere, uti collegiatum eſt, ſed ſi faciant, tamen in conjuges nullam pœnam ſtatutam, quæ L. Theodoſiana cauta erat, ut mulier ſine cauſa repudium mittens, dotem amitteret & ante nuptias donationem; nec ante quinquennium nuberet, ſi nupſerit, fieret infamis. Juſtinianus denique ultimam manum admovit internecioni maritalis poteſtatis. Primum enim *L. 96. de repud.* cauſis repudii addidit impotentiam mariti, *L. 11. eod.* quod ad mulierem attinet, addidit quidem, *ſi uxor ſua ope, vel induſtria abortum fecerit, vel ita luxurioſa ſit, ut commune lavacrum cum Viris, libidinis cauſa habere audeat, vel dum eſt in matrimonio, alium ſibi Virum adſciſcere conata fuerit.* Inſuper & Theodoſianum de Moribus judicium ſuſtulit; nec denique *propter flagellationem mulieris*, divortium conceſſit. *Nov. 117. cap. 14.* Atque, tam inſuper virum, etiam ſi ſine juſta cauſa repudium uxori miſerit, cogit, ut reddita dote, *ex ſua*

Juſtinianus novas cauſas addidit.

Judicium Theodoſianum de moribus ſuſtulit.

Digitized by Google

*ſua ſubſtantia, conſtante matrimonio tantum det uxori, quantum tertia pars efficit ante nuptialis largitatis, all. Novell. 117. cap. 13.* Verberantem quoque punivit, tertia parte ante nuptialis donationis *eod. cap. 14. vid. tot. Novel. & Nov. 22. cap. 7.* ibique Gothofred.; quoniam omnia excerpere, hic quidem ſuperſedemus. Exinde autem concludunt Interpretes, uti adnotat Gothofred. *ad dict. cap. 14. In quibus cauſis vir poteſt uxorem repudiare, in illis omnibus poſſe eam quoque acriter verberare & domo ejicere* (Juſtinianus autem omnes fere Theodoſian. cauſas retinuit, niſi quod addiderit impotentiam, monachiſmum & captivitatem certo modo *dict. Nov. 27. cap. 67. In aliis cauſis marito modicam caſtigationem permitti argum. L. 17. §. 1. de uſufruct. L. 5. fin. L. 6. ad L. Aquil. L. 13. §. 4. Locati L. 2. fin. de Obſeq. L. 1. C. de emend. propinquor. Si tamen id acciderit, eo caſu jurari, vel cautionem à marito præſtari, nunquam uxorem inpoſterum hic verberatum iri arg. L. 16. C. de his qui ad Eccleſ. confug. add. Bellovitſ. 1. Pract. 9. §. 16. 17.* Quæ vero Juſtinianus circa dotis dominium immutaverit, ea vid. apud Conſult. Dn. Wordenhof. *in laud. diſſert. de libertate teſtandi ſtatutis Hamburgenſibus reſtricta §. 20. p. 15. add. L. pen. C. de jur. dot. L. continuis aditionibus Mulier. C. qui potior in pignor.* quibus adhuc ea pauca addi liceat, tam obſcurum Triboniano fuiſſe, jus vetus maritis competens in manus conventionis, ut cum id legerit apud priſcos JCtos, errorem fortè ſcribæ eſſe putaverit aut notis I. M. C. non intellexerit atque interpolare maluerit, *ponereque pro in manum convenire, in matrimonium convenire L. 15. de ritu nupt.* quæ Accurſuis craſſiori adhuc errore, pro reconciliare ſumſit.

Maritum ſine cauſa repudiantem. Et verberantem uxorem punit. In quas cauſas caſtigare uxorem, jure noviſſimo permiſſum. Cautio, uxorem non verberatum iri. Emblema Triboniani.

## §. XXV.

Atque ne *hybernam noctem* tranſigere cum mulieribus videamur, uti veteres ajebant; plura adhuc dicenda eſſent de *Germanorum* in mulieres imperio, quæ bonam partem, quanquam inviti, quoniam plura urgent, prætermittimus. Pauca hæc adjicere licebit. In antiquis, quis melius noſtra attigit divino Tacito? atque ille *immortali ſuo de moribus Germ. Lib. cap. 78. de cultu fœminarum Germanicarum hæc habet, illas apud Veteres Patriæ noſtræ Incolas, ſemper magno in honore habitas fuiſſe?* Maximum viris ad virtutem fortitudinemque incitamentum, mulierum ululatus atque exhortationes. Reſtitutas à fœminis acies, ſæpius inclinatas, nec eos impatientius captivitatem timuiſſe, quam fœminarum ſuarum nomine: adeo, ut efficatius obligarentur animi civitatum, quibus inter obſides, puellæ quoque nobiles imperatæ. *Ineſſe ſiquidem, per-*

Mulieres apud germanos ſemper in magno honore habitæ. Habentur ſanctæ.

*pergit Autor, ſanctum aliquod & providum putant, nec aut conſilia earum aſpernantur, aut reſponſa negligunt. Vidimus ſub D. Veſpaſiano, Valledam diu apud pleroſq; Numinis loco habitam. Sed & olim Aurinicam & complures alias venerati ſunt, non adulatione, nec tanquam facerent Deas.* Confer. *Jul. Cæſar de bello Gallico lib. 1. cap. 11. in fine.* De Aurinia, quæ demum illa fuerit, Auriniarum virginum mulierumque fabuloſa ſæpius mentio apud veteres ſcriptores. Paul. Diac. *hiſtor. Miſcell. L. XII. cap. 13.* ait Filimerem Gothorum regem, Gordarici magni filium, egreſſum SCandia Inſula, quintum jam Getarum Principem, inveniſſe in exercito ſuo, *mulieres quaſdam Magicas*, quæ Gothico ſermone *Alyrumnæ* vocantur, easque habentem ſuſpectas, proturbatas ab exercitu, in ſolitudinem relegaſſe. Eas ſubactas ab Sylveſtribus hominibus, qui apud quosdam Fauni Phicarii vocantur, gentem Hunnorum edidiſſe, genus hominum tetrum, ferox, nec alia quam humana voce ac figura quadam hominum. Hæc P. Diacon. ad verbum exſcripſit ex Jornande *de reb. Getic. pag. m. 105.*, qui illud petiit *ex Oroſ. Lib. 7. cap. 13.* ex Jornande repetiit Wittichind. *Corbejenſ. Annal. Lib. 1.* (niſi quod Gothorum Ducem Gothum faciat, ac mulieres conceptos ex Viris, antequam relegarentur, partus edidiſſe dicat) & denique Gobelin. Perſon. *Coſmodrom. at. 3. cap. 18.* In quibus inveſtigandis non immorabimur, ſed cupidum lectorem ad Olaum Magnum & Jac. Ziegler. *in Scandia* remittimus. Ex ea tamen fœminarum exiſtimatione fluxit, ut, quod *vetus Gloſſarii Latino Theotiſci Autor in Mſcr. lex.* quod Florentiæ adſervatur, aſſeruerit Necromantiam germanicis Hallirune vocari Lindenb. *ad all. loc. Jornand. in not. & J. Gruter. ad loc. ſupra alleg.* P. Diac. Allrune hodiernam vocem, à priſcis Aurinis petendam eſſe. Opinionem Virtutis, quam ſibi prudentia comparaverant fœminæ Germanicæ, virtute ac fortitudine auxerunt. Namque ſi Jornand. credimus *de reb. Getic. pag. m. 86. & ſeqq.* Amazones Geticæ, ac proinde Germanicæ originis fuerunt, quas & in Germania collocat Paul. Warnefrid. *de Geſtis Longobard. lib. 1. cap. 15.* Juſtinus *lib. 2. cap. 4.* eas, à peruſta mamella dextra, Amazones appellatas eſſe exiſtimat, ſed ſi originem Germanica appellatione firmare licebit, quoniam partem maſculum, aut abjecerunt, aut interfecerunt, forte Ahne Zhone / Ohne Sohne / à filiorum carentia, nomen ſortitæ ſunt. Sed hæc etiam alibi.

Uti Valleda. Aurinia.

Auriniæ mulieres.

Matres Hunnorum creduntur.

Mulieres Germanicæ manu fortes. Amazones Germanicæ originis. unde dictæ.

§. XXVI.

Licet itaque ea, Germanis in ſexum ſequiorem fuerit veneratio, nec

nec tamen ſub earum fuerunt imperio, ſed acrius eas quandoque caſtigarunt; licet non negari poſſit, aliam fuiſſe mulierum Germanicarum conditionem ac Romanarum. Erat enim quoddam illis in familia momentum, non erant ſub manu Viri, ſed æqua, prorſus in familia regenda, poteſtate utebantur. Vir arma, uxor domum curabat. Unde & fœminæ omnem, dicas infantum educationem, creditam eſſe. ut forſan non absque ratione dixerim juxta, aut poſt patriam poteſtatem fuiſſe & matriam. Audiamus *Tacit. alleg. ſupr. loc. cap. 15. Quoties bella non ineunt, non multum venatibus, plus per otium tranſigunt, deditiſomno ciboq;. Fortiſſimus quisq; & bellicoſiſſimus nihil agens: delegata domus & penatium, & agrorum cura fœminis, ſenibusq; & cuiq; infirmiſſimo ex familia, ipſi hebent.* De ipſo matrimonio, quod Severum coli apud German. *cap.17.* dixerat, hæc habet *cap.18. Nec ullam morum partem magis (quam matrimonium) laudaveris. Nam prope ſoli barbarorum ſingulis uxoribus contenti ſunt.--- Dotem non uxor marito, ſed uxori maritus offert. Ne ſe mulier extra virtutum cogitationes extraq; bellorum caſus putet, ipſis incipientibus matrimonii auſpiciis, admonetur: Venire ſe laborum periculorumq; ſociam, idem in pace, idem in prælio paſſuram, auſuram, ſic vivendum, ſic pereundum cap. 19.* nobila continet: *Ergo ſepta pudicitia agunt, nullis ſpectaculorum illecebris, nullis conviviorum irritationibus corrupta. Literarum ſecreta* (quibus amores alimus) *Viri pariter ac fœminæ ignorant. Pauciſſima in tam numeroſa gente adulteria, quorum pœna præſens & maritis permiſſa. Accisis crinibus nudatam, coram propinquis expellit domo maritus, ac per omnem vicum verbere afficit. Publicata enim pudicitia, nulla venia: non forma, non ætate, non opibus maritum invenerit. Nemo enim illic vitia videt: nec corrumpere aut corrumpi ſeculum vocatur.* Eadem in hanc rem de fœminis Gallicis, habet Cæſar *in Comment. ſuis de bello Gallico Lib. 6. cap. 4. Viri in uxores, ſicuti in liberos, vitæ neciſq; habent poteſtatem, & quum Paterfamil. illuſtriori loco natus, deceſſit, ejus propinqui conveniunt, & de morte, ſi res in ſuſpicionem venit, de uxoribus in ſervilem modum quæſtionem habent; & ſi compertum eſt, igne atq; omnibus tormentis excrutiatas, interficiunt.*

Differentia mulierum Germanicarum & Romanarum.

Materna poteſtas apud Germanos.

Sanctum apud Germanos matrimonium.

Diſciplina vetus mulierum apud Germanos.

Apud Gallos.

## §. XXVII.

Ex quibus hæc intelliguntur, magnam fœminis in domo fuiſſe auctoritatem, nullam delictorum veniam. Atque id obſervatum poſterorum quoque ætate. Apud veteres Francos, Reginæ in familia Regia maxima fuit auctoritas: refert enim Hincmarus *Archi-Epiſcopus Rhemen-*

Auctoritas Reginarum apud veteres Francos.

*menſis in Epiſtola ad Epiſcopos & Ordin. Franc. de Inſtitut. Juven. Reg.*, quam ex Adalhardi Abbatis Corbejenſ. libello confecit. *Reginam, ſuos quoque habuiſſe officiales, qui ab ea unicè pependerint. Ad Reginam ſpectaſſe curam munerum, quæ à militibus offerebantur, ipſiq; ſubditum fuiſſe Camerarium, nec hunc alia munera Legatis dare auſum, niſi quæ & poſtquam Regina probaſſet.* Plane *Agobard. Archi-Epiſc. Lugd. in Apolog. Ludovici Pii filiorum §. 8.* Reginam appellat, *adjutricem Regis in regimine & gubernatione Palatii & regni.* Nec minorem apud Germanos auctoritatem habuit. Siquidem & apud eos imperii particeps fuit, ac ærarii & cameræ imperialis præfecturam exercuit, imo in judiciis & ſenatu locus ipſi conceſſus à Cæſare ſecundus, uti factum in Synodo Pontigonenſi; Cæſare vero abſente, primus quoque, uti in cauſa Aldrici Epiſcopi Cenomanenſis, contra Sigiſmundum Abbatem, uti ex *Goldaſto & Baluzio* retulit B. Dn. Schilter *Inſt. Jur. Pub. Tom. 1. Lib. 1. tit. 16. §. 2.*, *qui & §. 3. eod.* ex plurimis chartis comprobat, Auguſtam ſemper ab Auguſto imperii regnique conſortem & adjutricem agnitam, ac à ſcriptoribus ea dignitate cenſitam cultamque eſſe, adeoque Abbatem Fuldenſem Cancellariam aliosque Officiales habere, nec negari poſſe, quin in Auguſtam pariter crimen læſæ Majeſtatis committi poſſit, ac committitur in ipſum Cæſarem. A decore Reginarum, ut ſolet, decus proprium in alias quoque fluxit uxores, unde bene annotavit laudatus Dn. Schilter *Exercit. Pandect. V. §. 3.* illud ſingulare fœminarum Germanicarum jus eſſe, ut gentile decus non amittant, licet ignobili conjugio labem adſpergant; cum alias naturale videatur, ut mulier dignitatem Viri, non ſuam ſequatur, quod & moribus plerarumque Gentium comprobatum eſt. Imo *all. loc. in fin.* ex Gothorum moribus docet, liberis inregrum fuiſſe, ſi matris, an vero Patris dignitatem ſequi vellent. Et Lehmannus *in Chron. Spirenſ. Lib. 1. cap. 19. circ. fin. ex Capit. Francor. Lib. 3. cap. 16* demonſtrat., in judicio libertatis, ſemper matris apud Germanos conditionem inſpectam eſſe, adeo, ut ſi ingenuus ſervam duxerit uxorem, ipſe quidem hactenus liber, ſervos tamen liberos genuerit, ex contrario, ſi ingenua ſervo nupſerit, & ipſa libera manſerit, & liberos ingenuos pepererit. *Ex libera enim*, inquit lex, *non niſi liberi ſeu ingenui naſcebantur.* Secus tamen fuit in liberta & liberto, nam & illa, & hic, ſi adeptam ingenuitatem ſervili iterum contubernio fœdaſſent, in ſervitutem reducti ſunt, *Leg. Aleman. cap.* 17. *Capit. Lib. 5. cap.* 18. Quid multis? expreſſus textus

Apud Germanos.

Dignitas matronarum Germanicarum ex antiquis legibus.

textus eſt: im Land⸗Recht *lib.* 1. *Artic.* 45. Und ob wohl ein Mann ſeinem Weibe nicht ebenbürdig wäre/ iſt er doch ihr Vormund/ und iſt ſie ſeine Genoßin/ und tritt in ſein Recht/ wenn ſie in ſein Bett tritt. Ex quibus certe manifeſtum eſt, uxoris matrisque familias in domum maxime ſemper fuiſſe momentum, eamque vero parem cum marito exercuiſſe poteſtatem. Inde eſt, quod liberi, non niſi adhibito quoque matris legitimo conſenſu, juſta matrimonia ineant. *Capit. lib.* 1. *cap.* 358. *Decretum eſt, ut uxor Viro legitime jungatur: aliter enim non fuit legitimum matrimonium, niſi ab his, qui ſuper eam fœminam dominationem habere videntur, & à quibus cuſtoditur uxor, petatur & à parentibus & propinquioribus diſpenſetur.* Qui hoc modo nuptias contrahit, juſtum facit matrimonium & liberos gignit, ut *alleg. cap.* 358. ait, non ſpurios, ſed hereditabiles. *Conſ. Cap.* 306. *ejus lib.* 7. & *leg. Wiſigoth. lib.* 3. *cap.* 1. 2. & 3. in quibus ſemper Parentum, i. e. Matris & Patris conjunctim, nunquam Patris ſolum conſenſus neceſſarius ad juſtas nuptias eſſe dicitur. Inde porro eſt, quod, etſi uſufructus jus, ad patriam poteſtatem ſpectat in bonis adventititiis liberorum, jure tamen Saxonico antiquo, iſte uſufructus etiam ad matrem pertinuerit, & adhuc pertinet, ubi jus civile antiquos mores non intervertit Schilt. *Exerc. III.* §. 11.

Earum poteſtas in familia.

## §. XXVIII.

Nihilo tamen minus vetus Maritorum diſciplina, ad cuſtodiendam uxoris pudicitiam, adhuc diu obſervata fuit. Primum vero ad hoc, ordine paucis tradendum, hoc indubium eſt, fœminas jure antiquo germanico ſub tutela ſemper Virorum fuiſſe, *Leg. Longobard. Gentis origina Germanica Lib.* 2. *L. I. tit.* 10. quam allegat Dn. Schilt. *Exercit. Pand. X.* §. 20. *Nulla mulieri libera, ſub regni noſtri ditioni Lege Longobardor. viventi, liceat in ſua poteſtatis arbitrio, i. e. ſine Mundio* (h. e. Tutore, qui & alibi Mundwald vocatur) *vivere.* Quod & jure Saxon. ita cautum Land⸗Recht *lib.* 1. *art.* 46. Meide und Wiep müſſen Vormünde haben. Ubi per Meide/Magte virgines, per Wiep vidua intelligitur Etſi itaque laudatus Dn. Schilter. *Exercit. XLIV.* §. 48. hactenus quidem recte aſſerat, virginem nubentem non adeo venire in poteſtatem Viri, uti quidem antiquitus apud Romanos: cujus verba, Tua, Lector, pace, quoniam argumentum noſtrum egregie illuſtrant, hic apponam: *Ideo tenendum, hoc non debere ſic accipi, quaſi jure matrimonii Uxor in Viri poteſtatem veniat, niſi quantum ad jus naturale & gentium.* Bacchov.

Fœminæ Germanicæ in tutela virorum ſemper fuerunt.

2. d. 6. 7. Grot. *J. B. & P.* 2. 5. Weſenb. *ad tit de his, qui ſui, n. 3. Forte, ne quidem jure Saxonum, quo videtur potius in tutela mariti uxor eſſe. lib. 1. art. 31.* **Wann ein Mann ein Weib nimmt / ſo nimmt er ſie in ſein Gewehr / und all ihr Guth in ihre rechte Vormundſchafft.** *Tutela, quamvis & ipſa ſit poteſtas, tamen in capite libero & ſui juris, quomodo & jure Rom. nota eſt tutela mulieribus,* vid. Sutholt *Diſp. 3. th. 36. Quam vero hic non quærimus. Nec obeſt, quod uxor per nuptias eo jure in poteſtate patris eſſe deſinit, non enim ſub poteſtatem maritalem redigitur, ſed ſui fit juris. Quæ ratio, vel illo argumento commendatur, quod vernaculum* Freyen / *proprie nihil aliud ſignificat, quam ducendo uxorem eam, ex parentum poteſtate liberare, & matremfamil., h.e. eam, quæ ſuæ ipſius poteſtatis ſit, reddere.* Nec tamen poteſt diſſimulare *§. 50. ejusd. exercit.* Non tantum maritum omnia lucrari ex illatis uxoris, ſed & hanc teneri ad operas, ad easque cogi poſſe, ac reſpondet rationibus dubitandi, quod ancillam emamus, non ut pariat, ſed ut operetur, ita uxorem ducamus, non ut operetur, ſed ut pariat. *Conf. jus Saxon. Lib. 1, art. 45. Jus Suec. c. 110.* Quibus maritatis, circa negotia civilia poteſtas apprime depingitur, ac differentia inter virgines ſtatuitur, quæ liberius agere poſſunt. Ein Weib / mag an ihres Mannes Urlaub / ihres Guts nicht hingeben / weder eigen noch Leibgeding / noch Zinß-Lehn / noch kein varmeintes Guth / **das iſt darvon / daß er ihr Vogt iſt.** ( Jus Saxon habet: um das / daß er mit ihr in der Gewehr ſitzet) Aber Magd und Frauen / die nicht Mannes haben / die werdent woll ihrs Guth an ihr Vormund / ob ſie in iren Tagen kommen ſeint / es gehören denn Erben darzu / ſie ſullent es verſprechen / als recht ſey? Cumque adeo lucra illatorum ſua faciat maritus, ad operas uxorem adſtringere poſſit, uxor vero de rebus propriis nihil unquam, inconſulto Marito, diſponere queat, facile videmus, uxores Germanicas, non tam ſervas eſſe uti Romanæ erant, nec tamen omnino liberas.

Uxores Germanicæ non ſunt ſub poteſtate maritorum.

Quod reſtringitur.

## §. XXIX.

Quod ideo amplius declarat, quod non tantum pœna ſupplicii in fœmina adultera duraverit. *Lib. VI. Capit. Francor. cap. 431. ubi adultera æq; ac ſacrilega, capite punitur;* adeo, ut condonare mulieri violatum thorum, non laudabile fuerit marito, imo pœnitere æque ac uxor juſſus fuerit. *Lib. VII. cap. 382. ibi. Quod ſi Vir voluerit adulteram ſibi reconciliare, licentiam habeat, ita tamen, ut pariter cum illa pœnitentiam agat, & exacta pœnitentia, ad communionis gratiam utriq; accedant.* Sed etiam

Maritorum Germanicorum privatum arbitriū in uxores.

Digitized by Google

etiam Mariti, tam apud Gothos, quam Francos, ſibi privatam de moribus uxorum judicandi, easque aut per Epiſtolam repudii, aut præſentibus teſtibus, forte propinquis, ut apud Romanos, domo pellendi licentiam antiqua libertate ſumſerunt, quod cum converſis his populis, Epiſcopi ex notis principiis ferre non poſſent, probibitum eſt, privatum hoc maritorum arbitrium, ac mariti, ſi quid contra mores mulierum habeant, aut earum fidem ſuſpectam, ud id Epiſcopis exponant, aut judicio publico experiantur, juſſi, ut tamen, quam velint pœnam à judice irrogandam, petere poſſent; ſi ſecus fecerint, ſacris excludendi: *Can. XVII. Synod. Agathenſ. habitæ ann. 506. auſpiciis Alarici Gothorum Regis. Si vero ſeculares, qui conjugale conſortium nulla graviori culpa dimittunt, vel etiam dimiſerunt, & nullas cauſas diſſidii probabiliter proponentes, propterea matrimonia ſua dimittunt, ut aut illicita, aut aliena præſumunt, ſi, antequam apud Epiſcopos Comprovinciales diſſidii cauſas dixerint, & priusquam in judicio damnentur, uxores ſuas abjecerint, à communione ſanctæ Eccleſiæ & populi cætu, pro eo, quod fidem & conjugia maculant, excluduntur:* & *Leg. Wiſigothor. Lib. 3. tit. 6. cap. 2. Ut nullus virorum, excepta manifeſta fornicationis cauſa, uxorem ſuam aliquando relinquat, & neq; per teſtem, neq; per ſcripturam, ſive ſub quocunque argumento facere divortium, inter ſe & ſuam conjugem audeat. Sed ſi adulteram maritus dixerit, fortaſſe redarguendam juxta legem aliam, ejus publice ſcelere comprobato, à Judice ſibi faciendi, de ea quod voluerit, ſit illi poteſtas.* Et denique *Can. XI. Synod. Aurelian.* habit. auſpiciis Filiorum Chlodovei Francor. Reg. ann. 514. *Contraria matrimonia, accidente infirmitate, nulla voluntatis contrarietate ſolvantur. Quod ſi, qui ex conjugibus fecerint, noverint ſe communionibus privandos.*

Per Epiſtolam aut teſtes repudiare uxores permiſſum.

Quod Epiſcopi ſuſtulerunt.

Mariti accuſare uxores Judicem juſſi

## §. XXX.

Remiſſio privato maritorum in fœminas arbitrio, remiſſius quoque cum mulieribus actum. Equidem violata ab uxore re conjugii fides, ſemper cauſa divortio faciundo æqua viſa eſt, uti tum *allegat. Legg. Francorum & Gothorum*, tum *Leg. Burgundion. tit. XXIV. §. 3.* ſpeciatim *Leg. Francor. Lib. VI. capit. 87.* quibus uxorem relinquere ob adulterium aliamque ducere permittitur, abunde teſtatur: Imo pollutus thorus in illuſtribus fœminis, ac adeo Reginis, gravi ſæpius ſupplicio punitus, atque viſum eſt Proceribus, quod Judæis videbatur, in marito nullum eſſe. Virtutis amorem aut vitii odium, qui ſuſpectam ſemel fœminam, aut non pelleret domo, aut pulſam plane reciperet, ut eſt apud Philon. de

Adulterium cauſa divortii manſit.

Adulteræ conciliari indecorum viſum eſt.

*de LL. ſpecial. pag. 603. ſi quis repudiatam receperit, habeatur ignaviſſimus, ut cui ſit exemptum ex pectore vitiorum odium; affectus ad rem tum domeſticam, tum publicam adminiſtrandam utiliſſimus, & ipſe duas ſibi notas inciſerit, adulterii lenociniiq;.* Itaque ad declinandam lenocinii infamiam, meminimus, priſcos Francorum Germanorumq; Reges, ſi qua in domo Regia luxuriæ læva ſuborta eſſet ſuſpicio, ejus rei judicium commiſiſſe Procerum ſententiæ. Carolo M. probro datur, quod labem familiæ ſuæ, ex luxuria filiarum adſperſam, tam patienti animo diſſimulaverit. Eginhard. *in Vita Caroli M.* eaſque ſtatim poſt mortem Patris, Hludovicus Pius aula ſubmovit, & ad ſua ire prædia juſſit. Aſtron. in *Vit. Hludov. ad ann. 814.* Ipſi vero Hludovico maxime exprobratur, quod temeratum thorum Judithæ adulteris ita patienter tulerit; etſi reſtitutus, eam revocatam ex Italia non prius conjugis honore frui permitteret, quam ſecum propinquis ſacramento *coram plebe*, ab objectis criminibus purgaſſet, ut ſcribit Nithard. *lib. 1. de diſſenſion. Filiorum Hludov. add. Thegan. Chor-Epiſcop. Trevirenſ. in Vita Hludovici & Aſtron. ibid. ad ann. 831.* Nihil tamen ſecius datum eſt ei vitio, quod ſuſpectam ſemel & ſeparatam jam tum in thorum Regium reduxerit. Agobard. quem jam ſupra commemoravimus *Archi-Epiſcop. Lugdun. in Apolog. pro filiis Hludov. §. 8. Cum Chriſtianiſſimus & piiſſimus Imperator Dn. Hludovicus, bona conjugis fide & moribus ſibi congruentis, conſortium amiſiſſet., neceſſe fuit, ut aliam ſibi acciperet.* Et deinde §. 19. *Regina reducta eſt in Palatium & aſſumta in Conſortium, quaſi legitima conjunx, quod eſſe jam nullatenus poterat.* De Arnulfi Cæſaris uxore Ota, hæc referunt *Annal. Fuldenſ. ad ann. 892.* Eam ob commaculatum privato ſtupro thorum Regium, apud *Principes populi* accuſatam eſſe. Otto III. uxorem ob Adulterii ſuſpicionem & quod Cæſarem ad pœnam innocentis cujusdam Comitis induxiſſet, *in Senatu Principum* damnatam, vivam cremari juſſit Goth. Viterb. *Chron. part. 17.* Ex quo hauſit & deſcripſit, ſive hiſtoriam, ſive fabulam Gobolin. Perſon. *Coſmodr. æt. VI. cap. 50.* Meibom. *in Not. ad h. loc.* adnotat neque Hermannum Contractum, neque Lambertum Schafnaburgenſem nec Dithmarum Merſeburgenſem, nec denique Ottonem Friſingenſem ejus facere mentionem. Ceterum ex Goth. Viterb. & Gobelin. Perſon. Crantzius, Cuſpinianus & alii rem retinuerunt, quos recentiores omnimo ſequuntur.

Judicium adulterarum Reginarum penes Proceres.

Exemplum uxoris Ludovici Pii.

Arnulfi.

Ottonis III.

Quod tamen ſuſpectum.

## §. XXXI.

Pœna adulte-

In Fœminis vero privatis adulteris ſtatutum *Lege Francor.*, quam ſu-

ſupra retulimus, ſupplicium, aut plane non, aut non diu obſervatum eſſe exiſtimat Dn. Schilt. *Exercit. XLIX. §. 91.* Atque ut id credam, non inducit me *Lib. 7. capit. 149. de muliere, quæ adulteravit Virum ſuum & ſimiliter de Viro, qui uxorem ſuam adulteravit, qualiter de ambobus agendum ſit ibi. Quicunq; propria uxore derelicta, vel ſine culpa interfecta, aliam duxerit, armis depoſitis, publicam habeat pœnitentiam. Etſi contumax fuerit, comprehendatur à Comite, & ferro vinciatur, in cuſtodiam mittatur, donec res ad noſtram notitiam deducatur.* Ex quo licet capitulo, Lehman *in Chron. Spirens lib. 2. cap. 28.* demonſtrare velit, adulterium capitale ſupplicium apud Francos non meruiſſe, ex ipſis tamen Capituli verbis elucet, illud non de pœna à judice, ſed privata cenſura à marito inflicta loqui, quam ſuſtulit, de qua re jam ſupra quædam memoravimus. Quia tamen intelligo, inceſtum apud Francos non fuiſſe capite punitum, ſed mulcta ſaltem LX. ſolid., aut ſi eam ſolvere non potuit, carcere. *Lib. 5. cap. 7. 8.* crediderim cum B. Dn. Schilter. ſupplicium capitale in adulterio non diu obſervatum fuiſſe. Illud ſingulare, non videri, Legem Francor. parem morum caſtitatem poſtulaſſe in viro, ac in fœmina poſtulaverat. Permiſit enim ei habere, juxta legitimam uxorem, etiam concubinam. Etſi enim *Lib. 7. cap. 55.* ſtatuat: *Qui uxorem habet, eodem tempore concubinam habere non poteſt, ne ab uxore eum dilectio ſeparet concubina.* Videtur tamen lex loqui de eo caſu, ubi citra voluntatem ſoceri concubinam adſumſit. Eo vero conſentiente, quod Concubinam habere non utique fuerit prohibitum, declarat *cap. 42. lib. 4. Quicunq; filiam ſuam, Viro habenti concubinam, in matrimonium dederit, non ita accipiendum eſt, quaſi eam conjugato dederit, niſi forte ea mulier ingenua facta & dotata legitime, & honeſtata publicis nuptiis videtur. Paterno arbitrio Viri nuptæ carent culpa, ſi mulieres, quæ à Viris habentur in matrimonio non fuerunt. Quia aliud eſt nupta, aliud Concubina.* Alia, de caſtigandis mulierum moribus, in antiquis LLbus non reperimus, quoniam mores fœminarum tum non adeo corrupti adhuc fuerunt, uti vero nunc ſunt: niſi quod Wiſigothorum LLbus, quas ſupra retulimus permiſſum eſt, mulierem veneficam & Sepulcrorum violatricem, pellere domo, quod ex LLbus Juſtinianeis ſumtum eſſe videtur, uti facile judicari poteſt, qui utramque ſupra relatam, vult inter ſe conferre.

rii in Matronis privatis.

Ultimum ſupplicium non manſit.

Non ſimilis caſtitas in viro poſtulata.

Uxorem veneficam licuit repudiare.

## §. XXXII.

Jus denique Canonicum, quam primum norma judiciorum eſſe

Jus Canoni-

cæ-

Digitized by Google

cum morum Cenſorem fecit Clerum.

cæpit, non minimam attulit doctrinæ huic mutationem. Primum enim ex ejus diſciplina, omne privatum in pœna ſtatuenda Mariti arbitrium ſublatum eſt, quoniam ſine judicis auctoritate hac in re nihil ſtatuitur, *Lauterb. ad ff. tit. de divort. pag. 453.* Judicem autem jus Canon. fecit Clerum *c. 5. de procur. c. 5. de divort.* Cum illud preſſius legem novi fœderis ſecutum ſit, atque hoc, non niſi propter adulterium ac malitioſam defertionem, divortium permiſerit. *Matth. V. verſ. 32. & XIX. vers. 9. 1. Cor. VII.* ipſum quoque religioni ſibi duxit, plures divortendi cauſas agnoſcere. *C. 18. X. de divort.* ubi vero B. Stryck *ad Lauterb. pag. 694.* bene adnotat, jus Canon. in eo diſcedere à S. Scriptura, quod divortentem ab adultera uxore maritum, aliorſum nuptias inire prohibeat, ſine dubio, ob fictam eam divinis humanisque juribus ignotam ſacramenti conjugalis ſanctitatem, cum tamen id permiſerit Chriſtus *Matth. XIX. vers 9.* verbis: *Quicunque diworterit ab uxore & aliam duxerit, niſi ob adulterium, ille mœchus eſt.* Ex quo illuſtris auctor ita concludit: Ergo non videri mœchum eſſe, qui ejecta ob adulterium uxore, aliam ducat. Illud obſervandum, ſi uterque maritus & uxor fidem matrimonii violaverant, neuter ad diſſolvendum matrimonium admittitur, & delicta compenſantur. *C. nihil. c. 32. qu. 6.* Scilicet, uti bene obſervat. Dn. Stryk. *ad Lauterb. pag. 695.* quantum partium intereſt, à Republica enim uterque recte punitur. Deinde, ſi maritus ſuſpectam ſemel uxorem denuo compreſſerit, ceſſare actionem propter remiſſam, ut videtur, injuriam, exiſtimat Brunnem. *Jur. Eccleſ. L. 2. cap. 17.* Hoc amplius, quod ad thori ſeparationem & amiſſionem dotis, donationisq; propter nuptias, præſumtiones urgentes ſufficiant *cap. 12. X. de præſumt.* Et Illuſtr. Dn. Stryck. *Tr. de diſſol. ſponſal. ſect. 5. §. 3* bene concludit, quia in textu græco vox *πορνεία* occurrit, atque illa non adulterium tantum, ſed quamvis etiam impuritatem denotat, ideo non ad conſummatum adulterium ſemper reſpiciendum eſſe. Ceterum indulgent adhuc JCti, aliquam diſciplinam Marito, ut uxorem immorigeram & rebellem verberibus cogere, ad officium redire permittant, ob nimiam tamen ſævitiam, ſeparationem à thoro ac menſa licitam pronunciant. Carpz. *Juriſpr. Conſiſtor. 2. dec. 210.* imo ob vitæ inſidias, quidam plane divortium concedant Stryck. *ad Lauterb. pag. 695.* Quæ vero illa nimia ſævitia? Sine dubio judex arbitrabitur. Quod ſi ex nimia coercitione, uxor mortem contrahat, maritus ut homicida puniendus. Nobiliſſ. Dn. Schaffshauſen: *in Diſput. inau-*

Difficile in divortio permittendo.

Notatur Jus Canon.

Praxis hodierna.

Digitized by Google

*inaugurali de jure ſingul. fœminarum Hamburg. cap. 1. §. 26. in fin.* Illud ſatis mirari nequeo, interpretes concedere adhuc & Patri filiam adulteram, & marito, ut adulterum una cum uxore occidere poſſint, ille quidem plane impune, hic autem ita, ut à pœna ordinaria ſit immunis. Lauterb. *Compend. ad ff. pag. 690. & 691.* Quæ ſacultas, quam ſit poſterioribus ſeculis immutata, poſtquam omne morum judicium Cæſares ad ſe traxerunt, & quam illa facultas ſeculo noſtro indigna ſit, facile intelligit, qui traditam ſupra à nobis hiſtoriam, levi ſaltem oculo intueri velit. Quid jure noſtro patrio obtineat, declarant *art. 8. & 9. tit. XI. P. II. Statut. ibi.* Trennung oder Scheidung der Ehe wird nicht zugelaſſen/ es ſey dann (1.) der eine an dem andern Ehebrüchig worden/ oder (2.) daß der eine unter ihnen zum Eheſtand untüchtig befunden/ oder (3.) daß der eine an dem andern Treuloß würde / und denſelben verlaſſen hätte. Auf beſchehene Gerichtl. Erkäntniß des begangenen Ehebruchs/wird dem unſchuldigen Theil/ wiederum zu der Ehe zu ſchreiten/ vergönnet und zugelaſſen. Perfidæ conjugi, ex defuncti bonis, nil niſi alimenta decernuntur, cum alias uxor in portionem hereditatis veniat. Ita vero conſtitutum *P. 3. ſtatut. tit. 3. art. II.* Ein Weib/ ſo ihrem Mann/ bey ſeinem Leben untreu geworden / und ſolcher Unthat genugſam überzeuget/ hat nach Abſterben des Mannes / aus den Gütern mehr nicht zu fodern/ denn was etwann derſelbe ihr aus guten Willen gegeben und verordnet. Da ſie aber gäntzlich vorbey gangen/ ſollen ihr gleichwohl ziemliche Alimenta gereichet werden. Confer. Nobil. & Ampliſſ. Viri Dn. Schafshauſen, Secretari Reipubl. graviſſimi, Diſput. *de jure ſingulari fœminar. Hamb. Cap. 2. §. 40.* Moderata caſtigatio permittitur. *Part. 4. ſtatut. art. 48.* Conf. omnino quoad doctrinam moralem, Excell. Dn. Joh. Sam. Stryck. *Diſp. de reliqv. Sacrament. in cauſ. matrimonial.*

Praxis Statuti Hamburgenſis.

## §. XXXIII.

Vidimus maritum & uxorem. Atque ut ex matrimonio deſcendit ſobolis procreatio, ita & in hanc, cui & quæ ſit poteſtas, quod diſciplinæ jus, nunc videamus. Qui ex Philoſophis Patri imperium in lieberos aſſerunt, generationem habent pro fundamento. *Generatione*, inquit, Grotius *lib. 2. c. 5. ab initio de Jur. B. & P. Parentibus jus adquiritur in liberos.* Ex quo quidem illud fluit, quoniam Mater tantundem & forte plus quam Pater ad generandum filium affert, utrique par in prolem competere Imperium, quod & Grotius non diſſimulat, ob præſtantiam tamen ſexus, Patrem præferendum eſſe matri, exiſtimat.

Jure Naturali, quale Patri in filium competat imperium. Unde illud. Sententia Grotii.

Puſendorfii. mat. Puſendorf. *De J. N. & G. Lib. VI. cap. 2. §. 1. 4.* principium hoc non credens eſſe adæquatum, quod hominem in ſui ſimilem imperium ſola generatione ſibi acquirere poſſe, non opinaretur, duplex aliud fundamentum ſubſtruxit, primum quidem, legem naturalem, quæ tenerrimum, in genitam prolem Parentibus affectum indiderit, & quæ jubeat, quod procreaſti, educare etiam, deinde liberorum tacitum conſenſum, qui cum maturo judicio rogati, num miſeri ac inopes judicii auxilio Parentum ſublevari cuperent, ac ob id omnem eis obſervantiam & obſequium promitterent, ſine dubio reſponſuri eſſent, ſe maxime cupere ac promittere.

Titii. Celeberr. Titius *JCtus & Philoſophus noſtri ſeculi accuratiſſimus in Obſervat. ad Puſendorf. Librum de Offic. hom. & Civ. lib. 2. cap. 3. §. 2.* recte Puſendorfium confutat, ac ad ejus dubium primum reſpondet, hominem quidem hactenus generari Parentibus ſimilem, ſed ob inopiam judicii illis inæqualem, ob eamque conditionem, eorum imperio ſubjectum, deinde recte arguit Puſendorfium, quod conſenſum tacitum cum præſumto miſcuerit, fruſtra ejus præſumi conſenſum, qui diſſentire non poſſit. Cæterum ipſe aliud ſupponit fundamentum, clarius quidem Grotiano & Puſendorfiano: ait enim Parentes generando conſenſiſſe in educationem liberorum.

Hobbeſii. Hobbeſ. *de Civ. cap. 9.* ex principio ſuo notiſſimo potentiæ irreſiſtibilis, non agnoſcit patriam poteſtatem, ſed omne in liberos imperium matri, quæ prima in infantem, in poteſtatem receptum, jus vitæ & necis exercere ſi velit, poteſt, audacter adſcribit, ſed iis principiis, ut inſanis, uti exiſtimat laudatus Dn. Titius *loc. ſupr. cit.* immorari velle, operæ vix videtur eſſe pretium.

Examinantur horum opiniones. Uti & noſtram qualemcunque proponamus opinionem, primo videndum, quomodo cohæreant ea principia, quæ retulimus. Ante vero omnia ſeparanda exiſtimamus hæc duo longe diverſa à ſe invicem. Quibus modis acquiratur poteſtas ſive imperium in liberos, & deinde, quale ſit fundamentum educationis. Namque educatio neutiquam complectitur ſuo ambitu dominium ſeu poteſtatem, neq; quælibet poteſtas educationem ſollicitam, uti deinde videbimus. In conſideranda educatione iterum duplex eſt quæſtio. Altera, utrum parentes, & quisnam inter eos debeat educare filios ſuſceptos, altera, numne pium & laudabile ſit educare liberos, quos ſuſcepiſti. Atque cum Puſendorfii ſatis clare à Titio confutata fuerit, Grotii ac Titiana ſententia, una cum Hobbeſiana opinione, reſtant examinandæ. In eo fatetur Dn. Titius, ſe convenire cum Grotio, quod generationem exi-

ſti-

Digitized by Google

ſtimet eſſe fundamentum imperii Parentum in liberos. Sed cum Dn. Titius tacitum Parentum conſenſum, ſe educaturos infantem, ſi quis naſciturus ſit, ſupponat, atque de eo totus taceat Grotius, dubium adhuc eſt, numne hic ipſam generationem ſine conſenſu illo tacito, putaverit eſſe fundamentum imperii ſeu dominii Parentum. Videtur vero Grotius omnem plane conſenſum excluſiſſe, quia conſenſum plane ſeparat à generatione. *Non in res tantum inquit, ſed in perſonam jus quoddam acquiritur, & origine quidem* ex generatione, conſenſu, delicto. *Generatione parentibus acquiritur in liberos.* Nec poſtea in explicando omni parentum jure ac dominio, conſenſus unquam injicit mentionem. Jam vero, ſi ſola generatio, origo ac fundamentum eſt juris Parentum in liberos, quia generatio perpetua & ſemper valitura eſt cauſa ac origo ſubjectionis, ſequi videbatur, adultos quoque liberos eſſe in poteſtate & dominio parentum, nam, qui generavit infantem ſanguinolentum, generavit quoque puberem, adoleſcentem, juvenem, imo Virum jam tum & ſenem, quod tamen negat Grotius & tria fingit tempora liberorum, imbecillis ætatis, quo ſibi nondum conſulere ipſe poteſt, maturi judicii, & perfectæ denique ætatis, qua obtenta filium αὐτοξούσιον eſſe exiſtimat. Quod ſi mihi objicis, Parentum jus ad educandi tempora reſtrictum eſſe, in qua opinione omnes Philoſophos eſſe video, non oportebat miſceri, educandi officium, cum dominio & poteſtate Parentum. Nam, qui ſolum educandi officium, exercet, non poterit oppignorare filium, aut plane vendere, etſi coercitionem habere non negem. Hoc ad cenſuram morum ſpectat, illud ad dominium & poteſtatem. Hoc vero jus diſerte Parentibus vindicat Grotius *cit. loc.* §. 5. Quare, qui generatione ſibi acquiſivit jus, partum caſtigandi, oppignorandi & vendendi, eo ſpoliari nequit, niſi ſuo conſenſu, Grot. *lib. 2. cap. 7.* §. 1. i. e. emancipatione, quam tamen naturalem eſſe omnino negaverat Grot. *cit. l.* §. 3. Hoc amplius, qui poteſtatem vendendi oppignorandive ſibi quæſivit origine, dominium plenum habet Grot. *lib. 2. cap. 2.* §. *20.* At ergo, qui dominium plenum habet, habebit etiam facultatem illud deſerendi, remque perdendi. Utrumque vero jus parentibus in liberos competere, jus ſcilicet vitæ & necis, quod vocat Tyrannicum *lib. 2. cap. 5.* §. *7.* ac exponendi infantem, cui alimenta naturali jure deberi contendit *lib. 2. cap. 7.* §. *4.* iterum negat Grotius. Ergo, qui jus vendendi oppignorandique Parentibus largitur, dare etiam cogitur dominium, qui dominium,

Grotii.



Digitized by Google

nium, poteſtatem quoque perdendi aut deſerendi, aut oſtendere tenetur fundamentum quoddam limitationis, quare dominium in liberos magis reſtrictum, quam in ceteras res, aut minimum in ſervos, quove jure nitatur differentia, inter poteſtatem dominicam, quam in ſervos natos habemus, & patriam, quam nulla probabili ratione ullibi tradit Grotius.

## §. XXXIV.

Titii. Clarius itaque fundamentum eſt Dn. Titii, uti jam ſupra diximus, qui conſenſum Parentum adſtruit, dum generant, ſe quoque, quod generaverunt, educaturos. Sed iterum quædam ſe hic dubia offerunt. Primum enim ex hoc conſenſu, non aliud videtur tuto concludi poſſe, quam neceſſitas alendi ac educandi filium. Poteſt enim Pater quidem ſuo conſenſu ſe obligare ad nutriendum educandumq; partum, non vero quærere ſibi imperium ac poteſtatem vendendi oppignorandique, ad quam ſubjectionem neceſſarius foret conſenſus infantis. Eam enim ſibi poteſtatem, velle in hominem æqualem ſibi ſuo arbitrio ſtatuere, repugnat æquali hominum ſtatui, quem ipſe Excell. Autor aſſeruit, *vid. Obſerv. 455.* Et enim video Dn. Autorem, infantem facere inæqualem parentibus, ob imbecillem judicii vim, ſed ea ratione vereor, ne imperium illud Ariſtotelicum, hominum prudentia pollentium, ſtabiliatur in homines naturaliter ſtupidos. Deinde aſſerit quidem neceſſarium eſſe ſupponere obligationem infantis, parendi imperio Parentum, quia ſine ea ſollicite educari nequit; quod etſi daremus, non inde ſequeretur poteſtas exponendi, vendendique partum, quale jus Parentibus competere non negavit *ad §. 9. dict. cap. 3. lib. 2. Pufend. de Offic. hom. & Civ.* Imo *Obſerv. 518.* contendit, patriam poteſtatem, diverſo ſtatu, mutari quidem, ſed non tolli, quod poſita poteſtate ac imperio paterno, verum eſſe contra Grotium ſupra oſtendimus, ſed ex educatione non video, quomodo concludi poſſit, quæ nunquam imperium parit, ſed jus ſaltem imperfectum, ad gratum erga nos nobis animum conciliandum, efficit, quod & ipſe Dn. Autor *Obſerv. 517.* agnoſcit. Quod ſi verum eſt, jus omne & poteſtas, ceſſante educatione, peribit, cum ad gratificandi officium neminem poſſim compellere, ſed ejus cultus pudori alterius relinquendus ſit, quamvis actionem ingrati permittat Dn. Autor. Deinde, quis iſte eſt conſenſus? utrum expreſſus! ſed eum in ineundo concubitu de educanda prole naſcitura, neque probabilem, neque neceſſarium eſſe, ſupra demon-

Digitized by Google

monſtravimus, ſed ſi adſit, ad hoc forſan prodeſſet, ut jam de quærendo dominio infantis, inter conjuges nulla ſit diſputatio, quia inter illos hac de re convenit. Sed cum in officio paterno, non tantum agimus de eo, quid parentes liberis debent, ſed & jam quid filii Parentibus, hi autem in ſumma libertate naſcuntur, qua eos ſpoliare citra eorum conſenſum velle, nefas foret, ideoque eorum quoque conſenſus ad legitimam ſubjectionem formandam utique neceſſario expetendus eſſet, uti paulo ante probavimus. Equidem Dn. Autor putat, conſenſum infantum adeo neceſſarium non eſſe, eos nec poſſe, nec debere conſentire. Sed nullam probabilem rationem adductam video, quæ me inducat, ut id credam. Credo infantes non conſentire poſſe, credo non opus eſſe, ut conſentiant ad accipiendum educationis beneficium, quia non probabile eſt, etſi conſentire poſſint, eos tantum beneficium rejecturos, ſed eos non debere conſentire, ut vendantur in ſervitutem, ut oppignorentur &c. ſi concedatur, concedimus duram legem, quæ nec æqualitatis, nec æquitatis ſatis juſta ratione nititur. Ex adverſo ex iis, quæ de matrimonio diximus, facile intelligimus, hominem non naturaliter teneri ad procreandum quidquam ſibi ſimilem, ſed rapi ſaltem in libidinem concubitus, quam ſi ſatiare poſſit, de ſobole generanda non ita ſollicitus eſt. Diximus etiam ſupra, matrimonia, quatenus indiſſolubilem nexum continent, non eſſe juris naturalis. Jus familiarum, jura gentilium, matris ac Patrisfamil. ſpectare ad civitatem, aut conventionem peculiarem. Quæ ſi vera ſunt, non video, quomodo tacitus aut præſumtus conſenſus ſupponi poſſit. Namque præterea, quod ipſe Dn. Autor aſſerat. *Obſerv. 205. ad Pufend.* Conſenſum tacitum obſcuriorem eſſe ac magis incertum expreſſo, atque ex facto vel non facto, vera voluntate non declarata elici, ex quo facto quæſo dices Patrem ſe obligaſſe ad educandum filium ? quod concubuerit cum fœmina conſentiente ? Sed in quid conſenſit, num in prolem procreandam ? certe, ſi dicere volumus, quod res eſt, ac ex natura hominis corrupta loqui, in eo œſtro libidinis, non niſi de explenda luxuria cogitamus, nec adeo compos homo ſui eſt, ut de alia re cogitare poſſit. Dicimus cum Davide: *Genitus ſum in peccato, in peccato me mater mea concepit.* Ergo Vir concumbens conſentit in concubitum, ſed non in ſobolem, tum ob rationem citatam, tum etiam, quia in ſtatu naturali nulla conſtans & perpetua maris & fœminæ cohabitatio effingi poteſt. Deinde paterne ex ſua libidine, quam ſatiavit, jus ſibi



Digitized by Google

bi vitæ & necis in infantem, eum vendendi, deſerendi, quæret ac comparabit? Num quid crudelius? Quid ſi porro dicam primum hominem libidine concumbendi raptum, non ſatis ſciviſſe ſobolem inde naſcituram? In cujus quæſo tum poteſtate fuit filius? Pater animum generandi filium habere non potuit, quem neſciebat naſciturum. Ex quo apparet, nullum conſenſum, aut tacitum aut præſumtum (non dicam nunc, hunc fictum eſſe & jure naturali fingendum plane non eſſe) qui ſupponi naturaliter poſſit, apparere. Quod ſi hiſce addas, hodie præſertim partum quæri magis, ut divitiarum honorumque heres ſit, ac apud viles & pauperes, quod contracto ſemel matrimonio interdum non ſe temperantes à ſtimulo Veneris, inviti ſæpius prolem tollant, certe apparebit inter raros & paucos eſſe pauciſſimos, juxta & rariſſimos, qui eo animo concumbant cum fœmina, ut ex generanda inde prole, utile educant ſocietatis membrum. Non itaque abſurda videtur Hobbeſii ſententia, partum origine naſci in poteſtate matris, & addo, ab ea quoque educandum. Conſtat enim matrem partum utero non ſaltem concipere, ſed ei formando plurimam & materiæ & animæ vegetabilis vim addere, ſemen vero maſculinum nihil eſſe aliud, quam vim calefaciendi, ſeu infundendi ſemini fœminino calorem naturalem, quo rudis materia in formam coeat. Conſtat deinde matrem utero partum gerere, ac fere per annum ſuſtinendo nutrire. Summo cum dolore ex utero in mundum projicere, lac ei à natura alendo infanti datum &c. Ut adeo mulier, non ad recipiendum tantum, ſed & alendum infantem natura facta ſit, cum eorum nihil marito à natura conceſſum ſit. Jam vero cum partus in mundum protruditur, in cujus quæſo imperio eſt? Non in Patris, quia ejus nulla conſtans cum matre in ſtatu naturali eſt cohabitatio, reliquum ergo eſt, ut ſit in matris, quæ partum jam tum per annum in utero nutrivit, ei vitam ac animam conceſſit, prima eam in poteſtate recepit, ac exponere poteſt, ſi velit, aut plane necare, ſi è re ſua eſſe (quis enim prohiberet) videatur. Eam itaque vitam quam non perdidit, infans acceptam referre debet matri; quæ ob vitam centies ſervatam, quam perdere infans potuiſſet ſine matris auxilio, poteſtatem ſibi maternam optimo jure vindicare poteſt. Imo ſi recte rem penſitare velimus, quamdiu infans lactatur, nihil ad ejus opem ſeu ſalutem afferre poteſt Pater, quam vero primum ablactatus eſt, jam veſcendo iis, quæ natura produxit, ſemetipſum ſuſtentare poteſt, nec auxilio patris opus habet. Quod ſi

Hobbeſii.

di-

Digitized by Google

dicas ad obſervantiam juris naturalis à Patre eum admoneri poſſe, reſpondeo, quod ad præceptum illud, neminem læde ſpectat, metu qui præſertim parvulis inditus eſt, & ambitione, qua feruntur omnes, ut imbecilli ætati parcant, puero ſatis cautum eſſe, deinde, quantum refert ad alterum, ſuum cuique tribue, nullum eſſe ejus præcepti in ſtatu naturali uſum, ubi omnia ſunt communia, & orbis alendæ hominum multitudini, quam latiſſime patet, poſtremo, quantum attinet ad honeſtatem & decorum, temperantiam à luxuria, ambitione & avaritia, hæc vitia propemodum in ſtatu naturali exulare, ubi diverſus dignitatum ordo nullus, præter coitionem cum fœmina, luxuriæ inſtrumenta nulla, nulla divitias in ſumma omnium communione colligendi occaſio. Ex quibus nunc intelligimus ſapientiam, quæ conſiſtit in ignorantia vitiorum à ſe ipſam formari, nec educandi neceſſitate egere.

## §. XXXV.

At vero in ſtatu ſeparatæ familiæ hæc omnia ſe ſe aliter habent. Ibi enim proprietas, diſtinctæ domus, peculiares cognationes, ibi & in magna quadam familia, quædam reipublicæ ſpecies, in qua Virorum officium, ceteris longe naturali inſita virtute. antecellit. Nunc latrocinia cohibenda, nunc rapinæ, nunc excurſiones & depopulationes agrorum pellendæ, nunc injuria violenta vindicanda. Quibus cum fœminarum imbecillitas non par ſit, facile proſpicimus, Patremfamil. caput familiæ exiſtere, atque in hac familia quendam quaſi principatum, uti Pufendorf. loquitur: *de O. H. & C. Lib. 2. cap. 3. §. 7.* aut ut Seneca mavult *Lib. 3. de benefic. cap. 11.* domeſticum quaſi Magiſtratum gerere. Quare hic ex captivis ſervos, ex liberis non jure generationis nec educationis, ſed jure Magiſtratus ac Principis ſupremi ſubditos facit: Illuſt. *Dn. Thomaſ. Diſput. de homin. propr. & liber. German. pag. 9. §. 17. & ſeqq.* Hos ergo ſubditos officium non facientes, coercet pariter ac ſervos, i. e. eorum mores ad ſuam voluntatem commodumque componit, ſed ea tamen cum differentia, ut in cohercendis moribus filii, rationem quoque juxta ſuam utilitatem habeat commodi & ſalutis filii, in caſtigandis vero ſervis, non niſi ſuum comodum reſpiciat. Ergo & hactenus jus vitæ & necis, ob atrociora delicta habebit, & quod eo minus eſt, jus dandi filium in ſervitutem. Atque ita conjungit correctionem morum cum jure Magiſtratus, nam cenſuræ non ineſſe ſupplicium ſupra monuimus. Neque hujus juris exercitium certis temporibus incluſum eſt, uti *Grotius & Pufendorſius* putant, quis

*Poteſtas Parentum in filios in ſtatu ſeparatæ familiæ.*

*Pater caput eſt familiæ.*

*Filius ſubditus.*

*Differentia filiorum & ſervorum.*

*Pater jus habet vitæ & necis.*

*Retinendi filium in pote-*

ſtate, tamdiu quamdiu volet.

quis enim filium eximet nexu ſummi Magiſtratus, niſi Pater ipſe? Sed durat, quam diu volet Pater. Neque in hac familia, quæ cum jure eminentis majeſtatis regitur, partes habet mater, quam imperio mariti æque ſubjectam eſſe, ſupra diximus. Nulli hic limites, nulli fines, idem pater qui Princeps, idem Cenſor ac morum Formator, qui & Judex & Legislator.

Matri hic nullæ partes.

## §. XXXVI.

Poteſtas Parentum in filios in ſtatu civitatis.

Sine diſciplina concipi non poteſt.

In civitate reſtricta plerumque hæc poteſtas ad commodum Reipublicæ. Sed qua ratione? ut maneat diſciplina, ſine qua educari ſoboles rite non poteſt. *Namq;*, inquit, Puſendorf. *de O. H. & C. Lib. 1. cap. 2. §. 7. propter pravitatem ingenii humani, in vetita tendere amantis ſupervacuum eſt dicere, hoc fac, ſi non facientem, nil mali ſit manſurum.* Itaque ſtabit diſciplina, ſed quænam inquis? illud vero ex cujusvis Reipubl. legibus addiſci debet. Quanta Romanis in liberos ſuos fuerit poteſtas, quoniam dupondiis notum eſt, repetere hic multum ſuperſedemus. Quædam tamen attingamus, ut qua ratione debilitata ab Imperatoribus ac temperata ad Monarchiam ſit, ordine intelligamus. Severa illa & infinita poteſtas Patrum in filios inventa primum à Romulo, ſi Dionyſ. Halicarnaſſ. *Lib. 2. Antiquit. Rom. pag. m. 135.* credimus, fuit. *Romanorum Legulator*, inquit, *omnem poteſtatem in filium patri conceſſit: idq; toto vitæ tempore, ſive eum in carcerem conjicere, ſive flagris cædere, ſive vinctum ad ruſticum opus detinere, ſive occidere vellet: licet filius jam rempublicam adminiſtraret, & inter ſummos Magiſtratus cenſeretur, & propter ſuum ſtudium in Rempublicam laudaretur:* & deinde: *etiam* (patri) *filium vendere permiſit & hoc quoq; conceſſit patri, usque ad tertiam venditionem ex filio quæſtum facere, data patri in filium majori poteſtate, quam domino in mancipium. Nam ſervus ſemel venditus, deinde libertatem adeptus, in poſterum eſt ſui juris: at filius à Patre venditus, ſi liber fuiſſet factus, redibat in poteſtatem patris, & iterum venditus & libertate donatus, ſervus patris, ut antea fiebat. Sed poſt tertiam demum venditionem, ex patri poteſtate exibat.* Ipſam Romuli legem, Feſtus refert *voc. plorare*, eamque ita reſtituit Scaliger, uti eam recenſet Gothofredus ad *L. XII. Tabb. L. 1. tit. 27. §. 7. Si Parentes puer verberit, aſt oloe ploraſſint parenteis, puer diveis parentum ſacer eſto.* Rævard. *hic:* ita interpretatur, ut Parens imploratis diveis, in filium ſe verberantem, cuipiam facultatem dederit, eum impune necandi. Quam Legem in quartam XII. Tabb. relatam, à Decem Viris eſſe ſcribit, ſed tri-

Infinita antiquorum Patrum Romanorum in filios poteſtas.

Et Romuli inventa.

Digitized by Google

trinam venditionem hac Leg. temperatam à Numa Pompilio: *Si Pater permiſerit filio uxorem ducere, qua ex legibus particeps ſit & ſacrorum & bonorum, Patri poſthac nullum jus eſto vendendi filium.* Inde eſt, quod Juſtinianus Cæſ. credat, apud nullam omnino gentem talem fuiſſe patriam poteſtatem, ac fuit apud Romanos, in qua vehementer errat, §. 2. *Inſt. de Pat. poteſt.* cum & Perſæ habuerint jus occidendi, Muſcovitæ autem olim vendendi liberos, uti Cujac. *ad h. l. & ad tit. 1. Sent. Paul. lib. V. pag. 243.* probat & *ex allegato ſupr. loc.* Cæſ. *de bell. Gallic. lib. 6. cap. 4.* conſtet, & Gallis quoque competiiſſe in liberos ſuos, jus vitæ ac necis. Grotius exiſtimat, ideo tantam Patribus à Lege potentiam conceſſam fuiſſe, quoniam Patres ea non abuſuri crederentur, quod inditus à natura affectus in liberos, eos revocaret ab hac ferocitate. Sed fallitur. Namque Solonis tempore, orta apud Athenienſes ſeditio eſt, quod fœneratoribus pro debito atque uſuris addicerentur à patribus in ſervitutem filii, venderenturque. Itaque invidioſo exemplo motus, tulit primam legem, ne deinceps liceret ullum liberum corpus propter debita & uſuras, in ſervitutem trahi. Cario *in Chron. lib. 2. pag. m. 77.* atque Dionyſ. Halicarn. *all. ſupr. loc. lib. 2. Antiquit. Rom.* tradit, non temperaſſe ſibi Romanos Patres, à violentis interdum manibus filiis inferendis: filios, ad populum verba facientes, è ſuggeſtu detractos, per medium forum domum abductos, ad dandam privato arbitrio pœnam, Sp. Caſſius Conſ. ejus crudelitatis triſte exemplum præbuit. Qui, cum primus L. agrariam promulgaret, pater eum cognita domi cauſa verberaſſe ac necaſſe: peculiumque filii Cereri conſecraviſſe dicitur; ſignumque factum eſſe & inſcriptum ex Caſſia familia, Liv. *hiſt. lib. II. cap. 41.* Dionyſ. Halicarnaſſ. *Antiquit. Rom. lib. 8.* qui eum à patre ex decreto Senatus interfectum eſſe, ait tradi à quibusdam. Prætereo Bruti ac Manlii exempla, quoniam Magiſtratus in iis imperium forſan ſpectandum eſt, quanquam Manlium exprobraſſe filio ſpretam *Majeſtatem Patriam* autor eſt Liv. *lib. 8. cap. 7.* Manliorum tamen in filios & cognatos ſevera diſciplina, hiſtoricorum teſtimoniis celebris eſt. Namque cum M. Manlius tyrannidis accuſaretur, ne fratres ejus quidem veſtem mutarunt, quod antea nunquam uſu venerat & decreto gentis Manliæ cautum, ne quis deinde M. Manlius vocaretur Liv. *Lib. 6. cap. 20.* L. Manlio Imperioſo cognomie, à M. Pomponio Trib. Pleb. publice vitio datum, quod filium nullius probri compertum, extorrem urbe, domo penatibus, foro, luce, con-

à Numa temperata.

Notatur Tribonianus.

Cauſæ dandæ hujus poteſtatis infinitæ.

à Grotio relata.

Rejecta.

Athenienſes abuſi ſua poteſtate in liberos.

Et Romani quoque.

Exemplo Sp. Caſſii Conſ.

Bruti & Manlii.

Luc. Manlii.

 greſſu

Digitized by Google

greſſu æquaiium prohibitum, in opus ſervile, prope carcerem & ergaſtulum dederit, quia infacundior erat, & lingua inpromtus Id. Liv. *lib. 7. cap. 4.* Præter has coercitiones competiit jus abdicandi liberos, de quo Senec. *in lib. controv. paſſim.* Fuit autem abdicatio, exheredi- tatio viventis. Atque abdicatus ſpoliatus veſtibus ejicebatur domo, nec ullus eum recipere domo poterat, ni læſæ reipublicæ accuſari vellet. Senec. *lib. 1. Controv. 1.* Cauſas abdicationis ex Luciano & Fabio has habet Dion- Gothofred. *ad L. 6. C de patria poteſt.* ſi filius noctu foris cubuiſſet, ſi lenones pulſaſſet, ſi commeſſaretur, ſi libidini incubuiſſet, ſi voluntati paternæ repugnaſſet.

Abdicatio apud Romanos pars patriæ poteſtatis.

## §. XXXVII.

Uti igitur corpus filii patri omne ſubjectum erat, ita multo magis ejus bona, & quidquid acquirebat. Illud eſt, quod Dionyſ. Halicarnaſſeus *loco ſupra cit. lib. 8.* ait: ἀλλὰ καὶ τὰ χρήματα καὶ τὰ σώματα τῶν παίδων τοῖς πατράσιν ἀποδέδοται. Itaque quoniam in aliorum poteſtate, ſacris ac manu erant, proprium nihil habere poterant, uti philoſophatur Theoph. *tit. quod cum eo. qui in alien. poteſt:* κατὰ νόμους ὀυσίαν ἔχειν ὑπεξούσιος ὀυ δύναται. Unde etſi Pater filio adulto peculium ad quæſtum faciendum dederit, quidquid ex inde lucratur, Patri adquirit, non ſibi, *pr. & §. 1. Inſt. per quas perſon.* quoniam omnia patris ſunt Senec, *lib. 7. cap. 4. de benefic.* In manu autem filii eſſe dixit Seneca, quæ habet in poteſtate naturali, non civili. Neque enim peculium civile nomen eſt uti patrimonium, ſed naturale. Cujac. *ad African. Tract. VIII. pag. 541.* Quare, qui centum dedit filio in peculium, non centum ſaltem retinebit in ſuo dominio, ſed & ut eſt in *Phormion. Terent. quod ille* (filius) *unciatim vix de demenſo ſuo ſuum defraudans genium comparſit miſer*; imo quidquid inſcio patre adquiſivit, id omne in peculio eſt *L. 49. de pecul.* Inſuper filiis à paterna bona nulla ſpes certa erat, quam ſcilicet Pater exheredatione ſine cauſa quoque tollere poterat *L. 3. §. 2. de lib. & poſthum. hered. inſtit. L. 68. fin. de hered. Inſtitut.* quam adeo ob diſciplinam inventam eſſe exiſtimat Juſtinianus in *Novell. 22.* ut ea degeneres filii territi in officio contineri poſſent: ἀποκληρονομίαν, inquit, τοὺς παῖδας εἰς ἐυσέβειαν ἄγειν. Unde & hoc intelligi poteſt, quod jure Romano ſcriptum eſt, exheredatione patriam poteſtatem non tolli, quia diſciplina poteſtas non tollitur. *L. fin. unde legitim.* quamobrem & exheredato licet, tutor re-

Filii omnia Patri acquiſiverunt.

Exheredatio filiorum pertinet jure Romano ad diſciplinam paternam.

cte

ſte datur. *L. 4. & 10. §. 2. de teſtam. tutel.* & pupillare illi teſtamentum nihilominus recte conditur. *§. 4. Inſtit. de pupil. ſubſtit.* Multo magis valet exheredatio, ſi cum convitio facta ſit, veluti, ſi pater ſcripſerit, non filius meus, non nominandus, ex adultero natus, latro, gladiator *L. 3. pr. de liber & poſthum. L. 48. §. 1. de hered. Inſtit.* quod tamen elogium ad id prodeſt, ut, etſi pater nulla adjecta cauſa filium à ſua hereditate excludere poſſit, tamen ſi probetur elogium falſum eſſe, non habeatur exheredatus, quia Pater videtur ſibi propoſuiſſe ex ea cauſa filium exheredare, *L. 14. §. 2. de liber & poſth.* & quia probata innocentia filii, ceſſare videtur diſciplina. Porro prorogare Pater poteſtatem ſuam eamque abrumpere, prout viſum eſſet, poterat: prorogare quidem, ut filium alteri daret adoptandum, filio licet invito. *L. 31. de adopt. conſ. §. 3. I. eod.* abrumpere vero emancipatione, ad quam pariter filius patrem cogere non poterat. *d. L. 31. de adopt. L. 12. C. de Epiſc. aud. L. in re mandata 21. C. Mandat.* Atque ſatis dura erat, tum adoptorum, tum emancipatorum conditio, cum neutri ad ſucceſſionem Patris naturalis eſſet acceſſio. *§. 4. Inſt. de ſucceſſ. Cognat. § 2. Inſt. de SCto Orphit.*

Ad patriam poteſtatem pertinet adoptio & emancipatio.

## §. XXXVIII.

Sed infinita hæc patris poteſtas poſteriori ætate nimium quantum diminuta eſt. Namque primum, quod ad jus vitæ & necis attinet, Conſtitutionibus Principum illud patribus ademtum eſſe, certum eſt, ſed quis illud Princeps ademerit ſubobſcurum eſt, nec Cujac. *lib. IV. obſerv. 17.* quidquam de ea re definire audet. Tempore *L. Pompejæ de Parricid.* nondum jus vitæ ac necis ablatum indicio eſt, quod L. Pompeja matrem interficere prohibeat, filium non æque *L. 1. de L. Pompej. de Parricid.* Ex *lib. 4. annal.* Tacit. refert Cujac. *all. loc.* hujus jam tum ſcriptoris ævo, vitio datum patri *inaudito filio exitium offerre.* Inauditum autem Gothofred. *ad L. 2. ad L. Cornel. de ſicar.* intelligit indefenſum, ut indefenſum filium trucidare nefas putatum fuerit. Ex quo loco hoc conſtat, in judicio propinquorum, quod Romæ frequens & antiquum fuiſſe, ex ſupra demonſtratis conſtat, auditas eſſe cauſas defenſionis, non vero conſtat, jus vitæ ac necis Patribus ademtum. Marcianus in *L. 5. de* L. *Pompej. de Parricid.* aliquam, nobis in re obſcura, lucem accendit, quod ſcribat D. Hadrianum deportaſſe in Inſulam Patrem, qui filium interfecerat, qui Novercam adulterabat, *quod,* inquit Imperator, *latronis magis quam patris jure eum interfeciſſe viſus ſit:* nam

Sublata infinita poteſtas patrum ſub Cæſaribus. Jus vitæ & necis quando ceſſaverit.

Forte tempore Hadriani.



Digitized by Google

*nam patria poteſtas*, *addit JCtus*, *in pietate debet*, *non in atrocitate*, *conſiſtere.* Juvat conjecturam, quod idem Hadrianus jus vitæ ac necis Dominis in ſervos abſtulerit, atque ſi quid commiſerint, ut per judices cognoſcatur, juſſerit. Ael. Spartian. *in Vita Hadrian. cap. m. 18.* Namque ex eo invaluit conſuetudo, ut caſtigatio quidem moderata Patribus relicta fuerit, ceterum Parentibus ſævire in liberos interdictum, ac ſtatutum ſit, ut Præfectus urbi de his cognoſcat, aut Præſes provinciæ, atque apud eos filius accuſetur, ac ſtatuta a Patre pœna, auctoritate publica afficiatur. *L. 2. ad L. Cornel. de ſicar. L. un. C. de emend. propinqv.* Ita Alexander Imperator *in L. 3. C. de Patria poteſt. Quem* (filium) *ſi pietatem Patri debitam non agnoſcit*, *caſtigare jure patriæ poteſtatis non prohiberis*, *acriori remedio uſurus*, *ſi impari contumacia perſeveraverit: cumq; Præſidi Provinciæ oblaturus*, *dicturo Sententiam*, *quam tu quoq; dici volueris.* Et Impp. Valer. & Gallien. *in L. 4. C. eod. congruentius quidem videtur*, *intra domum*, *inter te & filios tuos*, *ſi quæ Controverſiæ oriuntur*, *terminari. Sed ſi ita res fuerit*, *ut pro injuriis & ad jus experiendum & ad vindictam proceſſeris*, *aditus Præſes Provinciæ*, *uti ſuper diſceptationibus quidem pecuniariis conſuetum*, *exerceri jubebit ordinem juris*, *reverentiam autem debitam exhibere Matri filios coget: Etſi provectam ad inclementiores injurias improbitatem deprehenderit*, *læſam pietatem ſeverius vindicabit.* Ergo moderate caſtigari privato arbitrio potuit filius, non puniri acrius. Caſtigari potuit in minoribus: ſi ad decorem, v. gr. domeſtico exemplo excitatus, ſe non vult componere, ut ajunt Valent. & Valens Impp. in *L. un. C. de emend. propinqv.* ſi reverentiam matri debitam violat, *L. 4. C. ſupr. de Pat. Poteſt.* Iis caſibus errans Juvenis privata animadverſione compeſci poteſt. Sed qui in atrocitate excedit, enormis delicti reus deditur Judicum notioni *de L. un. C. de emend. propinq.* Ergo non verum eſt, quod ſcribit Ulpian. *in L. 7. §. 3. de injur.* filio in poteſtate conſtituto, ob injuriam licet atrocem, non competere actionem. Namque ſi ob atrocem pœnam Pater punitur, accuſari quoque poteſt. Adde à Theodoſio permiſſum, liberis implorare officium judicis contra Patrem, qui eos cogere vult ad vitam turpem, ut ejus poteſtate ſolvantur. *L. 6. C. de ſpectac.* Scilicet poſt Valentinianum poſtque Theodoſium, ſententia Ulpiani non procedit. Hoc adhuc obſervandum, uti Ulpianus ſcribit: emancipato in Patrem competere actionem ob injuriam atrocem *d. L. 7. §. 3. de injur.* ita è contrario, permiſſum Patri emancipatum filium ob ingratum animum, puta

Pater juſſus filium accuſare apud judices.

Moderata caſtigatio permiſſa.

In quibus cauſis?

An filio detur actio in Patrem ob atroces injurias.

Emancipatio conceditur. Emancipatus ingratus in

ta contumaciam, acerbam atrocemque injuriam, in priſtinam ſervitutem ſub paterna poteſtate, reſciſſis emancipationis tabulis, revocare: ita reſcripſerunt Valent. Valens & Gratianus Cæſares. *L. 1. C. de ingrat. libr. ad quam L.* Gothofred. *in Not.* filium emancipatum hac ratione reverti iu ſacra paterna, ut ſecundum legem Romuli necaretur. Quæ, qua ratione, poſt Adrianum, Alexandrum, Valerianum Valentianum & Valentem, nam omnium hæc lex poſtrema eſt, ſcribere potuit, fateor me non ſatis clare intelligere.

poteſtatem redigitur.

Notatur Gothofredus.

## §. XXXIX.

Sublato jure vitæ ac necis, poteſtas quoque vendendi filium limitata eſt. Ut enim taceam, antiqum illud rigidumq; vendendi jus, quod Halicarnaſſeus retulit, ſi unquam vere exſtitit, ita interpretatione JCtorum emollitum eſſe, ut non niſi imaginarie venditio trina, poſtquam plena libertas competebat, ſubintellecta fuerit. Cujac. *ad lib. 5. ſentent. Paul. tit. 1. §. 1.* Cum olim ea eſſet dura debitorum apud priſcos Romanos conditio, ut ſi ſolvere non poſſent, raperentur in vincula, ob quam legis duritiem, plurimas pauperum ſeditiones ortas, ac novas ab his tabulas poſtulatas eſſe, late refert Dion. Halicarnaſſ. *Antiquit. Rom. L. VI. & VII.* æque tum debitores coacti, ni proprium corpus obnoxium eſſe creditori vellent, nectere filios, uti pluribus illuſtrat nobiliſſimus & doctiſſimus Dn. Jacobus John, J. U. D. & Præſes judicii inferioris meritiſſimus, *in erudita ſua diſſertatione inaugurali, de apprehenſione debitoris fugitivi cap. 1. num. 35. 36. 37. 38.* Accidit A.V.C. CCCCXXIX. Papirium improbum fœneratorem, cum pudicitiam C. Publilii ingenui adoleſcentis, qui ſe ei ob aes paternum nexum dederat, attentaſſet, negantem flagellis cædi juſſiſſe, à quo cúm adoleſcens ſe in publicum proripuiſſet, libidinem & crudelitatem fœneratoris accuſans, repentino tumultu Coſſ. coacti ſunt referre ad populum: *Ne quis, niſi noxam meruiſſet, donec pœnam lueret: in compedibus aut nervo teneretur: pecuniæ creditæ, bona debitoris, non corpus obnoxium eſſet. Cautumq; in poſterum, ne debitores necterentur,* Liv. *hiſtor. lib. 8. cap. 28.* Neque tamen hæc lex obſervata fuit: Namque etſi L. deinde Fabia pœna capitali prohibitum legatur, ne quis ſciens liberum hominem emat, vendat, donet, pignoris loco accipiat, *L. 1. & 4. de L. Fab. de plagiar.* quam legem JCti omnes ad filium familias extendunt, referunt tamen Ambroſius & Baſilius, ſua ætate vinctos plurimos eſſe pro debitis paternis. Ille *lib. de Tobia; Vidi, inquit, miſerabile ſpectaculum, liberos pro debito*

Jus vendendi limitatum.

Olim Parentibus ob debitum nectere filios permiſſum.

Quod libera adhuc republica ſublatū.



*bito*

Digitized by Google

*bito paterno in actionem deduci, i, e. auctionem. Hic. Pſ. 14.* Εἶδον ἐγὼ ἐλεεινὸν θέαμα, παῖδας ἐλευθέρους ὑπὸ χρεῶν πατρῴων ἑλκομένους εἰς πρατήριον.

Et à Cæſaribus.

Itaque nova ſanctione non tantum antiqua lex, ne liberum caput pro debito obnoxium eſſet, repetita eſt à Cæſaribus, ſed & creditor, qui ſciens filium famil. pignori accepit, deportatione punitus eſt. Paul. *Lib. 5. ſentent. tit. 1. de liberali cauſa §. 1.* quem locum re-

Emblema Triboniani.

tulit Tribonianus *in ff. L. 5. quæ res pignor.* Sed ut Cujac. *ad d. L.* adnotat., pro deportatur ſcripſit, *relegatur ob Novel. 134. cap. 7.* Nihilominus & hoc jus, aut non uſu aut contrario uſu abolitum. Opus enim

Lex Diocletiani.

fuit nova lege, quæ eſt Diocletiani & Maximini *in L. 12. C. de Obligat. L. 6. C. quæ res pignor.* & *L. 1. C. de Patrib. qui filios ſuos diſtrax.* Ubi exploratum, ajunt Cæſares, eſſe, filios oppignorari non poſſe. *Quia, inquiunt, pignori non ſubjacent, niſi ea, quæ in bonis ſunt.* Quibus ad ea reſpiciunt, quæ habentur in L. antiqua poſt ſervitutem Publilii lata, qua bona non corpus obnoxia debito eſſe, cautum. Nec tamen

Conſtantini.

ſcio, qua pertinacia Creditorum factum ſit, ut non tantum Conſtantinus legem, qua parenti filium in ſervitutem tradere prohibitum, re-

Juſtiniani.

petere ratum eſſe exiſtimaverit *L. fin. de patr. poteſt.*, ſed ut Juſtiniani adhuc tempore, filii ſæpius pro debito Parentum ſervitutem ſubire coacti ſint. Teſtatur id *Novel. 134. cap. 7.* qua admiſſum ſæpius in Imperio ait, ut filii pro debito parentum necterentur, atque ne illud amplius fiat, debitorem, & quicunque alias filium retinere, locare, oppignorare ob debitum auſus fuerit, corporali pœna, i. e. uti Gothofred. *hic* probat, exilii ſeu relegationis punit, creditoremque mulctat debito, & adhuc altero tanto dando ei, qui ab eo retentus fuerat. Atq;

Ob paupertatem vendere, aut oppignorare filios permiſſum.

qui oppignorare prohibitus eſt, ſine dubio vendere quoque prohibetur: Niſi tamen extrema paupertate coactus Pater. Hac enim ratione per prudentiam juris mediam, licuiſſe Patrifamil. vendere, teſtis eſt Paul. *lib. 5. ſentent. tit. 1. §. 1. Qui contemplatione extremæ neceſſitatis, aut alimentorum gratia* (quod ipſe liberos alere non poſſit) *filios ſuos vendiderint.* Sed hanc venditionem nihil obeſſe ſtatui ingenuitatis ſcribit: *Statui ingenuitatis eorum non præjudicat. Homo enim*, addit, *liber nullo pretio æſtimatur.* Atque ob eandem cauſam oppignorari quoque permiſſum eſſe filium, relatum in *in L. 2. C. Theod. de alim. quæ*

Quod reſtrictum lege Conſtantini.

*inop. parent. de puber. pet. deb.* Conſtantinus *in L. 2. C. de Patrib. qui filios ſuos diſtrax.* non aliter permiſit, filios ob egeſtatem vendere, quam ſi adhuc eſſent ſanguinolenti, i. e. rubentes, recens nati, Cujac. *ad d. L.*

*Pauli*

*Pauli*, eaque adjecta adhuc conditione, ut quidem venditi partus tranſeat ſervitus, ſed aut vendito, aut cuilibet alteri integrum ſit, oblato pretio, aut dato alio mancipio, ingenuum liberare. Quam legem Juſtinianus probavit *in tit. C. de infant. expoſ.* Quid igitur eſt, quod Paulus dicit, vendito filio ob neceſſitatem, hoc ejus ingenuitati non officere. Cujac. *hunc loc.* explicat ex L. Conſtantini, quia dicit liberum ei eſt, ſe oblato pretio redimere. Sed quis Paulum interpretatur ex Conſtantino? Hoc, credo, vult Paulus, vendito filio ob neceſſitatem, non ſervitutem, ſed operas ſaltem ejus tranſire. Nam locare operas ob neceſſitatem permiſſum Paul *hic in fin. L. 11. de ingen. manum. & L. 3. de uſufruct. leg.* ob neceſſitatem ſcilicet, nam ob debitum locare quoque prohibuit Juſtinian. *Novel. 134. cap. 7.* Denique *L. VI. C. de patr. poteſt.* à Dioclet. & Maximin. Cæſar. abdicatio abolita eſt.

Et lege Juſtiniani.

Notatur Cujacius.

Abdicatio abolita.

## §. XL.

Amiſſionem juris in corpus, ſequuta eſt amiſſio juris in bona. Etſi enim diu ſervata ſit regula, eum qui in manu poteſtateque alterius eſt, nihil proprii poſſidere poſſe, adeoque & peculium, ſi quod habuit, ejusque fructus pertinere ad Patrem, primum ſtatim exceptio facta in peculio caſtrenſi, ut in eo omnis Patris poteſtas plane quieſceret. Quando vero ea exceptio jus noſtrum invaſerit, non ſatis conſtat. Ait quidem Ulpian. *in L. 1. pr. de teſtament. milit.* Julium Cæſarem primum militibus liberam teſtamentorum factionem conceſſiſſe, ſed non ait eundem peculium caſtrenſe adinveniſſe. Ergo teſtamenti factionem addidit, peculii caſtrenſis beneficiis, ipſum peculium longe fuit antiquius: atque aut originem traxiſſe à ſtipendio militari, aut non diu poſt, crediderim. Cœperunt autem milites & quidem pedites ſtipendio merere A. V. C. CCCXLIX. cum ante id tempus de ſuo quisque munere functus eſſet. *Liv. hiſtor. lib. IV. cap. 59. & 60.* Equites ſtatim ſequuti & equis merere cœpere, A. V. C. CCCLII. *Id. hiſtor. lib. V. cap. 7. fin.* Refert autem Roſin. *Antiquit. Roman. lib. X. cap. 4.* primum id ſtipendium modicum fuiſſe, nec ſupra duorum obolorum diurnum quæſtum ſtetiſſe, ex quo veſtes ſibi comparare miles coactus fuit. C. Sempron. Grachus Trib. pleb. primum effecit, ut ultra ſtipendium, veſtis quoque daretur militi, uti refert Plutarch. *in Gracchis.* Julius deinde Cæſar, legionibus ſtipendium in perpetuum duplicavit, ut refert Sueton. *in Vit. Jul. Cæſar. cap. m. 26.* Nero ſtipendia protraxit diſtulitque. *Id. in Vit. Ner. cap. 32.* Domitianus ad aureos ternos, quartum ſti-

Ratione bonorum jus Patri ademtum in peculiũ Caſtrenſe.

Peculium caſtrenſe originem à ſtipendio militari traxit.

Stipendii militaris brevis hiſtoria.

Digitized by Google

Ad peculium caſtrenſe quid referatur.

ſtipendium adjecit (ita contra Mſcr. fidem legendum eſſe cenſet, Caſaub. *ad h. l.*) Sueton. *Vit. Domin. cap. 7.* Sed non tantum quidquid ſtipendio meruit, ſed & quidquid Parentes aut cognati ad militiam dederunt, & quidquid filiusfamil. occaſione militiæ adquiſivit, nec ſine militia adquiſiturus fuiſſet, hæc omnia ad peculium caſtrenſe ſpectant: *L. 11. de caſtrenſ. pecul.* adeo, ut etiam hereditates eorum, qui non alias noti eſſe potuerunt, niſi per militiam, etiamſi res immobiles in iis fuerint, eo pertinere reſcripſerit Alexander Cæſ. *in L. 1. C. de caſtr. pecul. milit. & Præfectian.* In iis bonis itaque patri nullum jus fuit, etſi alias militia filiumfamil. poteſtate patria non liberet, uti ait Id. Imper. *in L. 3. C. eod.* Quod ita eſt intelligendum, ut magis ſuſpenſa patris poteſtas in peculio caſtrenſi videatur, quam ſublata. Nec enim, ſi moriatur filius, habet heredem, ſed quaſi heredem, & pater non tam ſuccedit, quam retinet peculium *L. 2. 9. & 17. ff. eod.* Ceterum dum vivit filius, plenam in peculio poteſtatem habet, quam nec retento, nec emancipato auferre poteſt. *L. 12. eod.* nec Patri quidquam ex caſtrenſibus bonis filiorum debetur. *L. 10. eod.* Unde & valet ſtipulatio inter patrem & filium, ratione caſtrenſium, quamvis alias pater ac filius eadem ſint perſona. *L. 15. pr. §. 1. & 2. eod.* Atque hoc jus filiisfamil. non tam lege ſcripta, quam moribus obveniſſe videtur, cui poſtea, uti ſupra oſtendimus, Jul. Cæſ. liberam teſtandi facultatem, quamvis temporalem i. e. ſi in procinctu facerent, adjecit, cujus deinde exemplum Auguſti, Titius, Domitianus, Nerva & Trajanus ſequuti, pleniſſimamque indulgentiam, quando & quomodo teſtari volent, in milites contulerunt, *pr. Inſt. quib. non eſt permiſſ. L. 1. pr. de teſtam. Mil.* ſed ibi non ſubſtitit Cæſaris munificentia. Conſtantinus jus peculii caſtrenſis conceſſit Palatinis *tit. C. de privileg. eor. qui in ſacr. palat. milit. & L. un. C. de caſtrenſ. omn. Palatin. pecul.* Unde paulatim militia litterata & litteratorum æmula militaribus ſtudia & beneficia. Namque cum omnes palatini caſtrenſes appellarentur & militare dicerentur: Tertull. *de Coron. milit. Eſt etiam alia militia regiarum familiarum, nam & caſtrenſes appellantur, vid. tit. C. de Caſtrenſ. & Miniſterian.* & uti Conſtantinus loquitur, *all. l. un. C. de caſtr. omn. Palat. pecul. Quid enim tam ex caſtris eſt, quam quod nobis conſciis ac prope ſub conſpectibus noſtris acquiritur? ſed nec alieni ſunt à pulvere & labore caſtrorum, qui ſigna noſtra comitantur: qui præſto ſunt ſemper actibus &c.* Tum inquam, non minoris pretii litterati eſſe, cum præſertim cum Aulicis Vicariis ac Ducibus, Profeſſo-

Quæ libertas, quodve jus, filio in peculiũ caſtrenſe.

Quod Patri.

Jus teſtandi peculiis caſtrenſibus additum à Julio Cæſare.

Jus peculii caſtrenſis datum Palatinis à Conſtantino.

Militia litterata unde.

Litterati cum Aulicis exæquantur.

feſſores emeriti exæquarentur, *L. un. C. de profeſſ. qui in urb. Conſtantin. conſ. L. un. C. de Comit. & Archiatr. ſacr. Palat.* ſed non iisdem ſaltem honoribus, ſed & juribus ac beneficiis ornari voluerint. Hinc illa comparatio Advocatorum cum militibus in *L. 14. C. de Advocat. diverſ. judic.* ibi. *non minus provident humano generi, quam ſi periculis atque vulneribus patriam parentesq; ſalvarent:* & deinde: *militant cauſarum patroni, qui glorioſa vocis confiſi munimine, laborantium ſpem, vitam & poſteros defendunt.* Quid mirum translatum ad eos quoque caſtrenſis peculii jus. Atque non ſtatim, ſed paulatim ad id pervenerunt. Primum enim Proconſulibus & Præfectis legionum & Præſidibus provinciarum (*l. Conſulibus, Proconſulibus, Legatis & Præſidibus*, ita enim legunt Contius, Cujacius & Gothofredus, quoniam Præfectus legionum verus miles non opus habere videtur beneficio peculii quaſi caſtrenſis) & aliis quibusdam pari dignitate datum eſt plenum jus peculii caſtrenſis, ut etiam teſtamentum facere poſſent *L. fin. C. de inoff. teſtam.* Juſtinianus vero illud caſtrenſis peculii beneficium ac teſtandi jus ad memoriales agentes in rebus, nec non Magiſtros ſtudiorum liberalium, Archiatros & omnes omnino, qui ſtipendia & ſalaria publica percipiunt, extendit *d. l. fin. C. eod. L. ult. C. qui teſtam.* ex quibus deinde LLbus, Doctores iſtud privilegium, uti vulgo notum, ad quoslibet literatos & liberalium artium magiſtros, adplicant. Præter bona caſtrenſia & quaſi caſtrenſia, liberi habent bona, aut adventitia, aut profectitia. Quod ad bona adventitia attinet, bonorum maternorum proprietatem Patri jam tum ademerat, ſolo uſufructu ſervato, Conſtantinus in *L. 1. & 2. C. Theod. de bonis matern.* quæ repetierunt in *L. 3. & 4. C. Theod. eod.* Gratianus, Valentinianus, Theodoſius, Arcadius & Honorius. Idem de bonis, quæ liberis ex matrimonio obveniunt, ſtatuerunt Theodoſius & Valentinianus *L. 3. C. Theod. eod.* Leo vero & Anthemius eandem doctrinam produxerunt, ad bona, quæ ex ſponſalibus promanant, *L. 4. 5. C. de bon. quæ liber &c.* Juſtinianus tandem omnium bonorum adventitiorum proprietatem patri ademit, relicto ſaltem uſufructu *L. 6. C. eod.* ut adeo Patri exiguum aut nullum plane jus, poſt tot Conſtitutiones reſtet in bona filiorum, quocunque illa modo quæſiverit, exceptis profectitiis bonis, quæ ex re patris, aut ejus intuitu ad filium perveniunt, in quæ, Patri antiquum jus incolume merito ſervatum, *L. 2. & d. l. 6. C. eod.* Unde magnificentius de ſe ſentit Tribonianus, quam par eſt, quaſi ipſe primus eam doctrinam de bonis adventiis adinvenerit, at-

Advocati cũ militibus.

Primum Conſulibus Proconſulibus &c. jus peculii caſtrenſis datum.

Juſtinianus idem jus dedit Magiſtris & Acchiatris &c. Doctores omnibus literatis tribuunt.

Peculii adventii proprietatem Patri Conſtantinus & reliqui Imperatores ademerunt.

In ſolum peculium profectitium Patri jus antiquum ſervatum.

Notatur Tribonianus.



Digitized by Google

atque ad Juſtinianum usque non aliud, quam antiqum jus obſervatum fuerit in §. *1. Inſtit. per quas perſon.*

§. XLI.

Ne ſine cauſa exheredarentur filii, inventa eſt querela inofficioſi teſtamenti.

E contrario conceſſum eſt aliquod jus liberis in Parentes. Namque cum olim, uti ſupra demonſtravimus, integrum eſſet ſine cauſa exheredare filios quidem nominatim, filias vero & nepotes ex filiis inter ceteros: primum Lege Glicia, uti opinatur Cujacius *Lib. 2. Obſerv. 21.* reperta eſt querela inofficioſi teſtamenti, qua color obtendebatur teſtamento, quaſi Pater non fuerit ſanæ mentis, cum teſtamentum ordinaverit, ut ait Marcianus JCtus in *L. 2. de inoff. teſtam.* & ex eo Tribon. *pr. Inſt. de inoffic. teſt.* Itaque, etſi Pater recte teſtamentum feciſſet, fiebat tamen, ut quia non ex officio pietatis condiderat teſtamentum, Paul. *lib. 4. ſentent. tit. 5.* hoc colore teſtamentum Parentum infringeretur. Videbantur autem Patres furere, qui ſuccenſere poterant ſanguini ſuo. Borcholt. *ad pr. Inſt. de inoffic. teſtam.* Unde Aſinius apud *Quintilianum lib. 9.* furioſum non inofficioſum teſtamentum reprehendi, ait. Faciunt vero tale teſtamentum parentes maligne circa ſanguinem ſuum inferentes judicium, novercalibus delinimentis inſtigationibusque corrupti: ut ait Gajus in *L. 4. de inoff. teſtam.* Ab inofficioſo teſtamento differt, ut hoc ὡς ἐν παρόδῳ obſervem teſtamentum inhumanum, quod Cicero *in Prætur. Urban.* vocat, quo cognatos vel amicos bene de nobis meritos, aut exheredamus, aut omittimus, quod genus teſtamentorum Sueton. *in Tiber.* ingratum appellat. Sed eorum teſtamentorum, uti obſervat Borcholt *all. loc.* nulla eſt apud Prætorem actio. Ceterum competit querela, non ſaltem, ſi omnino præteriti aut exheredati, ſed & ſi quidem heredes inſtituti ſumus, ſed legitimam ſalvam non habemus, uti colligi poteſt ex *L. 6. C. Theod. de inoffic. teſtam.* Competebat querela liberis contra teſtamentum parentum, & his contra tabulas liberorum, item ſorori, & fratri, ſi perſona turpis aut levi nota laborans prælata ſit. §. *1. Inſt. ibid. L. 22. C. eod.* Et quidem filius exheredatus docere cogebatur, ſe innocentem eſſe & ſine cauſa exheredatum. *L. 5. eod.* niſi forte heredes in teſtamento ſcripti probare maluerint, ingratum filium contra parentem exſtitiſſe, & propterea fuiſſe exheredatum. Borcholt. *ad pr. Inſt. ibid.* Quæ vero fuerunt juſtæ cauſæ, aut omiſſionis, aut exheredationis? id jam explicatum eſt per verbum ingratum. Si ingratus ſit filius, tum caſtigatur ex-

Teſtamentū furioſum patris.

Inhumanum cognatorum. Ingratum.

Q. I. T. quoq; datur fratri aut ſorori.

Proceſſus Q. I. T.

Ob quas cauſas Q. I. T. ceſſaverit.

exheredatione, quæ eſt modus correctionis diſciplinaris, uti ſupra probavimus. Clarius Conſtantinus Imp. in *L. 28. C. eod. Liberi de inofficioſo querelam contra teſtamentum parentum moventes, probationem debent præſtare, quod obſequium debitum jugiter, prout ipſius natura religio flagitabat, parentibus adhibuerint: niſi ſcripti heredes oſtendere maluerint: ingratos liberos ergà parentes exſtitiſſe.* Deinde docet nos Ulpian. *in L. 3. de liber & poſthum.* plures cauſas, *ſi filius latro, gladiator, ex adulterio natus ſit:* nam & tum recte filius exheredatus cenſetur: nec querelam inſtituere poteſt. Queritur autem filius exheredatus, aut plane præteritus, aut quartam D. Pii non habens integram coram judice, præſente herede ſcripto, & tum ſi filius perſtitit in lite improba, reſciſſo teſtamento, libertatibus, legatis omnibusque aliis ex teſtamento competentibus rejectis, filius, uti ſuus heres admittitur. *l. 8. §. 1. c. de inoff. teſtam.* ſi cauſa cadat, ut indigno & improbo id, quod in teſtamento accepit, aufertur & fiſco vindicatur, *l. 8. §. 14. eod.* niſi ante ſententiam abſtiterit lite. Si contra duos heredes egerit, & ab altero victus fuerit, nihilominus contra unum admittitur, & ipſe debitores convenire pro parte, & à creditoribus pro parte conveniri poteſt, ut adeo non abſurdum videatur, pro parte teſtatum & inteſtatum videri *l. 15. eod.* Quæ vero omnia Juſtinianus commutavit *Nov. 115. cap. 4.* Namq; primum, quod ad neceſſariam inſtitutionem pertinet, filios filiasque æquavit ex ea quidem ſatis injuſta & incommoda ratione, quod utraq; perſona (tam mas quam fœmina) in hominum procreatione ſimili naturæ officio fungatur. Deinde dict. *Nov. 115. c. 3.* XIV. cauſas exhibuit, citra quas parentibus liberos exheredare fas non amplius eſſe voluit, liberis, ex octo cauſis exheredare parentes permiſit: poſtea ſtatuit, ut heredi ſcripto probandi cauſam à teſtatore expreſſam incumberet neceſſitas: iterum inſtituto filio in minori quam quarta parte, non permiſit inofficioſi querela agere, ſed actionem dedit ad ſupplendam legitimam *L. 31. C. de inoffic. teſtam.* denique, ut injuſte exheredatus filius eſſet, ſola inſtitutio reſcinderetur, legata, ac libertates ſalvæ manerent. Quæ poſtquam ſtatuta ſunt, quid nobis opus eſt inofficioſi querela? quid opus colore Gliciæ invidioſo & improbo, ac ſi Parentes non fuiſſent ſanæ mentis? Quæ, erubeſcendi cauſa, ut ait Cæſar in *L. 33. C. eod.* poſtquam ipſe exheredationis cauſas ſanctione incluſit, nec alias admittere voluit. Sed ita eſt comparatum cum Juriſprudentia noſtra, ut nova antiquis permixta vix caute à Triboniano

Proceſſus Q. J. T. porro expenditur.

Juſtinianus certas cauſas exheredandi invenit.

Q. J. T. inepte

I 2 nec

Digitized by Google

à Triboniano retenta. nec à JCtis adeo noſtris ſeparentur. Hoc uno ſolvamus filium ſacris paternis. Non tantum expreſſis verbis Cæſares patriam poteſtatem infringere operam dederunt, ſed vias etiam, quibus ad eam Majeſtatem perveniebatur, objectis non paucis obſtaculis, difficiliores reddiderunt, emancipationem qua finitur, laxiorem effecerunt. Cum enim olim ſine diſcrimine adoptatus in adoptantis familiam, nomen & bona tranſiret, atque fieret, ut & patricii interdum à Patribus alienati à plebejis adoptarentur, ut plebejos Magiſtratus obire poſſent, Cæſares, huic rei obicem ponendam eſſe, exiſtimarunt, & ſtatim Tiberius, ne adoptationes munerum & hereditatum gratia fieret, prohibuit Tacit. *Annal. lib. 15.* ac deinde poſt novam Juſtiniani adoptionem, quis tam ſua ſuosque odiſſet, qui extraneum in partem lucri admiſſurus eſſet, ſe vero magno incommodo oneraret. In emancipatione etiam multa nova, plura ſolvendi patriam poteſtatem, dignitates, Conſulis, Præfecti Prætorio, Patricii, Epiſcopi &c. quæ alibi latius excutienda. Confer Illuſtr. Dn. Thomaſ. *Diſput. de quaſi Emancipat. German.* §. *1.--10.*

Cæſares omnem occaſionem adquirendi patriam poteſtatem ademerunt.

Exemplum in adoptione.

Et emancipatione.

§. XLII.

Jure Germ. poteſtas patria incognita.

Jure Germanico nunquam infinita ea obtinuit Patrum in liberos poteſtas, quæ antiquitus jure Romano viguit. Optime Illuſtr. Dn. Thomaſ. *all. jam Diſput. de quaſi Emancip. German.* §. *1. Germanos quod attinet, illorum patria poteſtas, nunquam fuit æqualis patriæ poteſtati Romanorum, ſed illi poteſtati, qualem uſurparunt aliæ gentes præter Romanos. At hæc magis in onere educationis utriq; parentum incumbente, quam in commodo, & magis in coercitione modica, quam jure vitæ & necis conſtitit.* Illud jam ex iis quæ ſupra de fœminis diximus, conſtat, quod illuſtr. auctor dicit; Matri apud Germanos aliquod momentum eſſe in domo. Rationem hujus rei elegantem addit. *Quia,* inquit, *apud Germanos parentum poteſtas non conſiſtit, uti apud Romanos, in jure adquirendi per filios,* unde illa longa & dura liberorum ſervitus, & tam difficilis emancipatio, ſed ſaltem in onere educationis, cujus etiam apud Teutones, uti apud alias gentes particeps eſt uxor. Porro rem illuſtrat ex jure Anglorum gentis origine Saxonicæ, adeoque iisdem vivendi moribus adſuetæ. „Tradit vero Johannes Cowellus *in Inſt. Jur. Anglic.* apud „Anglos parentes ſolum per liberorum induſtriam adquirere, ſi in pa„rentum negotiis ad 21. annum usque operam impendant: peculium „autem ſive caſtrenſe, ſive quaſi caſtrenſe, ſive adventitium, ſive pro„fectitium plane ſpectare ad filios non ad parentes, imo Parentes rationi-

Magis conſtitit in onere educandi, quam jure adquirendi per liberos.

Quod illuſtratur moribus Anglorum.

Digitized by Google

ctionibus reddendis, ſi ea habeant in cuſtodia (nam in uſufructu habe-" re non poſſunt) obnoxios eſſe, ceterum Parentum poteſtatem ſaltem" iis terminis conſtare, quibus à LLbus divinis & moribus populorum" moratiorum circumſcribi ſolet, qui ii ſunt, ut liberi colant ac obſer-" vent Parentes, obſequiique præmia exſpectent à divina gratia, *immo-" rigeri ademtione hereditatis puniantur.* Quam primum vero ſe ipſos" alere poſſint, ipſo jure patria omni etiam umbratili poteſtate, exſo-" luti videantur", quod Illuſtr. Dn. Autor *Diſput. §. ſeqq.* latius probat: atque id evenire ait, plerumque: Wann die Kinder zu ihren vogtbaren Jahren gekommen / i. e. 25. anno ætatis, aut alibi 21., aut etiam 18. In eandem rem Dom. Schilter *Exercit. Pandect. XXXVII. §. 42.* præſertim, quod ad æqualem in familia matri cum patre poteſtatem attinet. *Competit*, inquit, *matri jure gentium ac moribus Teutonicis quadam poteſtas in liberos.* Ex qua re concludit, apud vetuſtos Germanicæ populos poſt mortem Patris, liberos plane ſub poteſtate uxoris fuiſſe. Lex Wiſigothorum *lib. 4. tit. 2. cap. 13. Patre mortuo filii in matris poteſtate conſiſtunt.* Et Lex Burgundionum *Tit. LIX. Filii amiſſo patre --- cum omni facultate in ejus* (matris) *ſolatio & poteſtate conſiſtunt.* E contrario, mortua uxore Pater tutor eſt filiorum, Land-Recht *lib. 1. art. II.* Hält ein Vater ſeine Kinder in Vormundſchafft nach ihrer Mutter Tode ꝛc. Quare cum mater, vivo patre, eandem cum eo poteſtatem in filios habeat, mortuo vero Patre, liberi in plenam poteſtatem matris tranſeant, mortua vero uxore, Pater tutor ſaltem liberorum dicatur, atque ex moribus gentium ac fœminarum ingenio facile intelligatur, fœminas durum imperium non exercere, inſuper ex his locis pateat, parentes antiquo jure, atque adhuc pluribus locis hodie, per liberos nihil adquiſiviſſe aut lucratos eſſe, ex hinc patet, ſemper ab omni ævo, modicam parentum Germanorum in liberos fuiſſe poteſtatem. Unde eſt quod parentes interdum tutores appellentur, uti eſt in *ſtatut. Ilmenſ. Ao. 1350* conditis: Wer eines Kauffmanns Sohn / des Vormünde ſein Vater und ſeine Mutter ſind: ad quem locum B. Dn. Schilter *alleg. Exercit. §. 42.* in vetuſtis ſtatutis quandoque poteſtatem parentum tutelam appellari: ut ſcilicet, ea re moderatum parentum imperium denotetur. Atque ea, opinor, cauſa eſt, quod Accurſius *ad §. fin. Inſt. de P. P.* exiſtimet, veteres Longobardos atque Francos (non Gallos, namque hos, jus vitæ & necis in liberos habuiſſe, notat Cæſar *loc. ſupr. allegat. cap. 4. lib. 6.*) patriam poteſta-

Solvitur officium paternum apud Germanos, quando liberi ſe ipſos alere poſſunt.

Apud Germanos mater quoque liberos in poteſtate habuit.

Patriæ poteſtatis apud Germanos mediocritas.

P. P. German. quandoq; in vetuſtis chartis vocatur tutela.



Digitized by Google

tem (eam, quæ re vera poteſtas jure romano vocatur, quæ nobis non jus ſaltem vitæ & necis, ſed & adquirendi per liberos, ac arbitrium eos dimittendi, quando volemus, concedit) non habuiſſe. Quam ſententiam ſequitur Baldus, & ex iis hauſit Andreas de Barulo Comment. *in LL. Longobard. tit. VIII.* Quamobrem miror Dn. Schilterum, poſt ea, quæ ex eo hactenus allegavimus, potuiſſe in eam incidere opinionem, ac ſi poſt ea omnia, ſalva & integra Germanicis populis poteſtas patria remanſerit. *Inſtit. jur. publ. tom. 1. lib. 1. tit. 8. §. 3.* Namq; non id ſaltem argumentum, quod ex *L. 7. lib. 2. cap. 35. LL. Longobard,* qua donatio inter filium & patrem permittitur, ſatis comprobat, unitatem eam perſonarum, quam patria Romanorum poteſtas efficiebat, apud Germanos & Germanicæ originis populos non fuiſſe, ſed quod ipſe in *Exercit. ſuis Pand.* ex vetuſtis legibus, chartis, ſtatutis & moribus magna opera eruerat, Matri ac Patri æquam fuiſſe in familia Germanorum auctoritatem, imo matrem poteſtatem omnino exercuiſſe, patriam poteſtatem magis in tuitione & educatione, quam imperio conſtitiſſe, Patri per liberos non adquiſitum, liberos quam primum ſe ipſos alendi facultas ſuppetierit, ipſo facto è poteſtate exiiſſe, illud, inquam, Baruli ſententiam firmare videbatur. Quæ affert in medium contra *L. 7. Longobard.* quod poſſit intelligi de donatione facta emancipato, primum demonſtrandum erat, ſolemnem eam emancipationem, ac tenacem liberorum in poteſtate retentionem, ut ipſorum opera lucremur, fuiſſe unquam apud Germanos receptam. Allegat exemplum reſtitutionis Friderici Saxonum Electoris in patriæ poteſtatis jus apud Hortled. *de B. G. 2. 3. cap. 88. n. 48.* Sed quoniam ad hanc objectionem ſatis reſponſum eſſe ab illuſtr. Dn. Thomaſ. *all. diſſert. de quaſi Emancip. German.* intelligo, ei immorari nunc quidem ſuperſedeo. Certe ipſe Dn. Schilt. *J. publ. tom. 1. lib. 1. tit. 8. §. 4.* ridet Philippum Valeſium Regem Francorum, quod Joannem Filium emancipaverit, ut ei Ducatum Neuſtriæ dono daret.

Opinio Schilteri examinatur.

## §. XLIII.

Sed quid dices? ſi ea parentum in liberos apud Germanos eſt moderatio, vix mores formabuntur ad reipublicæ utilitatem, ubi nulla pœnarum metu continentur in officio. Imo verò moderatum imperium non omnem tollit caſtigandi uſum. *Cap.* 172. in Königl. Land-Recht expreſſis verbis parentibus in liberos diſciplinam permittit, quam diſciplinam Dn. Schilter *Exercit. VI. §. 16. in not.* iterum teme-

Jus diſciplinæ Patribus Germanicis competiit.

re

re JCtionem appellat, eamque à ratione veterum Judiciorum non alienam eſſe ſcribit. Forte, quod pauca delicta apud Germanos juſti rectique tenaces, fuerint capitalia, aut infamia notata, ſed plerumque carcere aut alia caſtigatione coercita, quod diſciplinæ genus, cum nobilis in agro, in filium exercere quoque jure recte poſſit, id ei quoq; jus Provinciale merito conceſſit. Sed ea correctio numne ad JCtionem pertinet? minime gentium. Numne in tali caſu admittitur; der Vogt mit den Schoppen? Num cauſa perorabitur? num alia ſolemni judicii forma obſervabitur? numne ſententia actis & periculo conformis pronunciabitur? In Sachen Fiſcalis & criminalibus entgegen und wieder Hanß von N. Chriſtoffen Sohn iſt erkannt/ daß Inquiſit ihm zur wohlverdienten Straffe/und andern dergleichen muthwilligen Knaben zum abſchreckenden Exempel von dem Hoch-Adlichen Informarore Magiſt. N. mit Ruthen eine gantze viertel Stunde zu züchtigen. Nec von der Kinder Gebrechen urtheilen/ ſtatim de ſolenni proceſſu intelligendum. Urtheilen enim vox Germanica ſemper non ſententiam, ſed judicium de re aliqua ferre ſignificat. Si quid coercitione dignum commiſerint liberi, de eo videbunt, cognoſcent, ſtatuent Parentes. Illuſtrat locum *Jus Lubecenſe Lib. 4. tit. 11. art. 4.* Wenn ſich Kinder unter zwölff Jahren verwunden/ davon haben die Gerichte keine Straffe/ ſondern die Eltern ſollen ſie mit Ruthen züchtigen. Inflexerunt Lubecenſes vetus diſciplinare Germanorum jus, ad Leges Romanas, quæ in pubere ſolum dolum eſſe exiſtimarunt *L. 23. & §. 18. Inſt. de obligat. quæ ex delicto:* quam tamen diſtinctionem pubertatis jus Germanicum omnino ignoravit, confer. *ſæpe alleg. Diſſ. Ill. Dn. Thomaſ. de quaſi Emancip. Germ. paſſim* & *Dn. Wordenhof. Diſſert. de libertate teſtandi ſtatutis Hamburgenſibus reſtricta. §. XXIX.* Vides ergo & in delictis parentibus diſciplinam permiſſam, non cognitionem judicibus vindicatam: unde & Carpzov. *P. 4. def. pen. cap. 43.* recte & Landſaſſiis hactenus cognitionem in liberos, ſi quid perperam commiſerint, tribuit: in cauſis vero civilibus, idem eis forum dat ac Patri: ſed ratio ejus, quod filius ob nobilitatem & ſucceſſionem uti par patri, atque ideo in cauſis civilibus merito, non Patris JCtioni, ſed ejus foro ſubſint, in delictis vero, quæ omnem dignitatem exuunt, jure Patris imperio ſubjiciantur, hæc, inquam, ratio ſapit ignorantiam juris Germanici. Namque certum quidem eſt, filium in cauſis civilibus, quæ plerumque ad bona ſpectant, hæc vero non Patri, ſed Præſidi Provinciæ ſubſunt, ad forum Patris trahendum, (non

Quæ non cum JCtione confundenda.

Jus caſtigandi, non JCtionis competit Parentibus etiam in delectis filiorum impuberum.

Quid obtineat in cauſis civilibus.

ve-

vero filius habebit bona niſi quaſi emancipatus fuerit) ſed quod in delictis imperium Patris ſubeat, vetus eſt & antiquum, nec reſpicit dignitatem filii, ſed coercitionem Patris. Sera autem fuit apud Germanos pubertas, uti Tacit. *de Mor. Germ.* teſtatur, nec XII. aut XIV. ſed ex jure veteri XXI. anno demum finita Conf. Dn. *Wordenhof. alleg. ſup. Diſput.* §. 29. Quamdiu itaque impuberes manſerunt, Parentum coercitione caſtigati, atque hæc ætas apud priſcos Germanos innoxia fuit ſcelerum, quamprimum autem uxorem duxit, egreſſus filius domo Patris, ſuum ipſe judicem ſequutus eſt.

§. XLIV.

Quod ad delicta criminalia attinet, diſtinguitur inter privatas & illuſtres perſonas.

Sed quid tandem, ſi filius crimen pœna corporali dignum commiſerit. In privatis res certa eſt, quoniam ipſi vitæ necisque jus non habuerunt, illud eos hoc caſu exercere non poſſe. Adde, quod delictis filius magis lædat rempublicam, quam Patrem. Itaque ſi ad eam ætatem pervenit, ut doli ſit capax, filiique malitia appareat, quin à Judice puniendus ſit, non dubitandum. Neque enim unquam Germanis in liberos privatum ſtatuendi arbitrium competiit. Sed, ſi filius Magiſtratus in rempublicam delinquat, aut plane Principis? Diſtinguit Schilt. *J. P. J. lib. 1. tit. 8.* §. *6. 7. & ſeq.* inter Principem ſummam majeſtatem habentem & eum, qui alieno imperio ſubjectus eſt. Illum ipſum poſſe ſtatuere de filii crimine exiſtimat. Ubi ſimul quæritur, ſi Imperatoris filius conveniendus, an forum Cæſaris, quod eſt coram Palatino, ſequatur, an coram Cæſare in jus vocandus? atque exiſtimat: Filium declinare forum patris non poſſe; ne videatur digniorem ſe gerere Cæſare. Sed ratio diverſa eſt in Cæſare, ac eſt in Cæſaris filio. Ille ſuperiorem non habet, atque ideo aut opus fuit, aut laudabile, ut ſibi ipſi Judicem eligeret, à quo jus ſibi reddi pateretur. Sed in filio Cæſaris hoc ſe habet aliter. Ille enim ſuperiorem Patrem habens, contra Majeſtatem Patris faceret, ſi alterius, quam Cæſaris JCtionem agniturus eſſet. De Principe imperii Majeſtatem colente, hæc habet. Etſi, quam vocant ſuperioritatem territorialem, æmulam majeſtatis habeant ac exerceant, agnoſcere tamen ſuperiorem & judicem: adeoque, quoniam ſupremum forum non Patri, ſed domui datum, filium Principis Patris judicem ſuum quoque habere. Sed in eo videtur falli Vir ſummus, quod putet, Principis filium Patri dignitate ac ſucceſſione parem eſſe. Quod utique in Principe ſummo, aut ejus æmulo non admittendum eſt. Etſi enim Principes imperii, Cæſarem

Filius Imperatori ſubeſt non Comiti Palatino contra Schilterum.

Filius Principi Germ. ſubeſt Principi, non Imperio, neque Paribus Curiæ contra Schilt.

rem

rem & Imperium habeant ſuperiorem, ſunt tamen ſummi ac Imperatores in ſuis territoriis, adeoque parem non admittunt: nec filius Principis Imperii magis par eſt Patri ob ſanguinis ſplendorem ac ſucceſſionis certam ſpem, quam filius Regis, Regi eſt in regno ſucceſſivo, non tantum ob rationes allegatas, ſed & quod Principes habeant jus de non evocandis ſubditis. Ergo Princeps Imperii non ſaltem Pater erit filii, ſed & Princeps. Quod vero ait, forum datum non Principi, ſed domui: hoc quidem verum hactenus eſt: ſed datum eſt non omnibus ſimul, ſed filio poſt Patrem: alioqui ii qui ab hereditate in gratiam primogeniti abſtinent, quos appellamus apennagiatos, idem ſibi jus præſumerent, ob parem rationem: ſunt enim ejuſdem domus. Quod porro allegat, ſi princeps ipſe ex inſtituto majorum, curiam Parium in ſe reddere jus patiatur, tum quoque filium eidem curiæ ſubeſſe: ad hoc reſpondemus id, quod diximus de filio Imperatoris: niſi tamen uſus obtinuit, ut filius pari cum Patre foro utatur, qui ſequendus eſt. Aliud dicendum de magiſtratibus inferioribus, ac Nobilibus, quibus jus dicendi poteſtas commiſſa. Namque etſi & his JCtio ratione prædii interdum competat; Offene Straſſen-Gerichte/ non tamen eo modo competit, quo Principi, qui non ſaltem ob ſummam territorii majeſtatem, poteſtatem jus dicendi de corporibus omnium, quos habet in territorio, in Eccleſia, in Gente, domo Familiave ſua, ſed poteſtatem etiam vitam & corpus omnium horum & filii etiam exponendi periculis pro ſalute territorii, cujus penes ſe ſtat cognitio, ſupremum exercet ceteris paribus arbitrium. *J. P. art. 8. §. gaudeant.* Schilt. *Inſtit. Jur. publ. tom. 1. lib. 1. tit. 24. paſſ. Capit. Ludovici Pii de Inſtruct. Miſſorum Ao. 828.* Sed, qui Nobili dedit Jurisdictionem, aut potius ejus adminiſtrationem, non ei dedit ſupremum ſuæ ipſius familiæ, necandi, vitam ſervandi &c. imperium, quæ utique omnis Principi ſervit pariter ac nobilis, etſi caput ſit familiæ. Ergo hactenus Nobilis habebit in filium diſciplinam non JCtionem, ſi commiſerit quidquam pœna publica dignum, Judici tradendus. Qua in re nobiſcum ſentit Schilt. *Exercit. III. §. 16.* non quidem ob rationem, quod pari ſint dignitate filius atque pater, adeoque alter alteri ſubjectus eſſe nequeat, ſed quod pares ſint ſubjectione filius ac Pater, ubi videlicet utriusque & corpus & vita arbitrio Principis ſubſunt.

**Filius nobilis in delictis criminalibus ſubeſt judici ſuperiori non Patri.**

## §. XLV.

Ad privatos redeamus: quorum poteſtas Cenſoria magis, quam do-

**In privatis**

poteſtas patria conſiſtit in coercitione. dominica, uti ſæpius diximus, durat, quoad filius ſibimet ipſe conſulere poteſt. Quod, cum ut plurimum fiat ducta uxore: ultimum quoque eſt in patria poteſtate, ut ſine parentum conſenſu matrimonia non ineantur, ſi ineuntur nulla ſint, nec filios hereditates capaces producant: ita cautum *Capitul. Francor. Lib. 7. cap. 306. vid. ſupr.* §. *XXVII. in fine*, quod primum hac ratione *ſtatut. noſt. P. 2. tit. 11. art. 3.* repetitum, ut ſi qua mulier, aut ſi quis juvenis, inſciis Parentibus, matrimonia ineant, quod iis nec dos debeatur nec hereditas, ſed ad legitimam usque exheredari poſſint. Imo per *Pænal. Edict. de 1. Octob. 1676* von Kuppler und Kupplerinnen. Si quis invito ac inſcio Patre ac matre, Tutoribus ac proximis agnatis, virginem aut viduam ſibi deſpondet, deſponſamque rapit, etſi copula ſacerdotali matrimonium perfectum, ac utriusque juramentis ſtabilitum ſit, matrimonium reſcinditur, Parentes juſtè liberos exheredant, raptor capite punitur, rapta (ſi ſponte rapi ſe paſſa eſt) in cuſtodiam data, modice nutrienda. Atque vides exheredationem hic vicem diſciplinæ obtinere, ut ejus metu, liberi abſterreantur à dilictis. Cauſæ exheredationis *ſtatut. noſtr. P. 3. tit. 1. art. 29.* decem recenſentur. (1) Si filius parentem verberarit (2) magna injuria affecerit (3) capitis accuſaverit, (4) vitæ inſidiatus fuerit, (5) thorum paternum violaverit, (6) captivos non redemerit, (7) teſtari prohibuerit, (8) vitæ genus infame ſectatus fuerit, (9) ſi filia meretriciam vitam egerit, (10) ægrotos Parentes non curaverit. Cauſæ exheredationis ab herede probandæ, quod ex jure civili repetitum. Generatim cautum, uti jam ſupra citavimus *P. 4. art. 48.* Sonſten wird mäßige Züchtigung dem Ehemann über ſeine Hauß-Frau/ den Eltern (Patri ac Matri) über ihre Kinder ꝛc. billig erlaubet und zugelaſſen. Sed ea caſtigatio, numne ad ergaſtulum usque extendenda, ut permiſſum ſit Parentibus filium degenerem in das Zucht-Hauß zu ſetzen? Ita volunt Doctores ob Conſtitutionem Valentinian. *in L. un. C. de emend. ad quam vid.* Muller. *ad Struv. Exercit VI.* §. *39.* β atque ideo Patri etiam jus privati carceris tribuunt, & hoc jure utimur.

Neceſſitate poſtulandi conſenſum Parentum in matrimonio ineundo, Jus Statutarium.

Exheredatio in jure noviſſimo eſt pars diſciplinæ paternæ. Cauſæ exheredationis jure Hamburgenſi.

Coercitio diſciplinaris an ad ergaſtulum usque extendenda.

## §. XLVI.

Præter Parentes educant impuberes Tutores aut Præceptores. *Nihil eſt frequentius* ait Puſendorf. *de O. H. & C. lib. 1. cap. 1.* §. *18. quam ut uni commiſſum ſit alterius actiones dirigere.* Diriguntur autem i. e. inſtituuntur, formantur, educantur, componuntur ad publicam ſalutem mores eorum, qui ob imbecillem intellectus judiciique uſum, rebus ſuis ipſi ſupereſſe non poſſunt §. *6. Inſt. de Atilian. Tutor. &c.* Inſti-

ſtituunt autem ac educant alios, aut Tutores aut Præceptores. Tutor alter Pater eſt B. Dn. Stryck. *ad tit. ff. de ſuſpect. tutor. pag. 719.* Atq; ejus officium conſiſtit in his tribus, ut tueatur (nam ideo dicuntur Tutores, quaſi Tuitores, ut inquit Paulus *in L. 1. §. 1. de tutel.*) defendat ac educet pupillum, Vinn. *ad pr. Inſt. de auct. tut.* namque primario perſonæ datur, *L. 14. de teſtam. tut.* deinde, ut adminiſtret res pupilli *§. 17. Inſt. de excuſ. tut. L. 12. & 13. de teſtam. tut.* ac demum ut præſtet auctoritatem *tot. tit. de auct. tut.* Cum itaque primarium Tutoris officium conſiſtat in tuendo educandoque pupillo, diligens Magiſtratibus, qui jus dandi Tutores habent, inſpectio commiſſa eſt in mores Tutoris, quos optime omnium Modeſtin in *L. 21. §. 4. de Tutor & Curat. Cum reliquis*, inquit, *oportet Magiſtratum & mores creandorum (tutorum) inveſtigare, neq; facultates enim, neq; dignitas ita ſufficient ad fidem, ut bona electio, vel voluntas, & benigni mores.* Ad quem locum hæc habet, Gothofredus, Tutorem oportet habere προαίρεσιν, *conſilium, votum ac ſtudium juvandi pupilli. Ita judex explorabit in eligendo tutore, an recte vitam inſtituerit, num modeſtus ſit, non egens, non orbus, non vagus, ſed locuples, qui novit liberos educare & eos amet. Harmenop. 5. tit. 11. §. 2. Theoph. Inſt. de ſatisd. tut.* Divitias nimium urget, quas vero non poſtulant leges, imo earum rationem habere prohibent *L. 1. C. ubi pupill. educ.* conf. *L. 17. §. 1. de teſtament. tut. & L. 8. de ſuſpect. tut.* ubi primam tutorum virtutem eſſe, ait JCtus, probitatem ac honeſtatem, atque honeſtos tutores ſatisdationis contumeliam non ſubire oportere, exiſtimat. Quod adeo verum eſt, ut etſi Pater optimum conſilium pro liberis capere cenſeatur, ideoque in Tutoris ab eo dati mores non facile inquiratur. *L. 1. §. 2. L. 3. & 6. de confirm. tut.* nihilo tamen minus Prætor, ſi ex re pupilli minus idoneos videat mores Tutoris, voluntatem Teſtatoris negligit. *L. 10. eod.* Unde ſapientiſſime hodie, ut quorumvis tutorum mores inſpiciantur ac probandi ſint à Magiſtratu, cautum. *Ord. Polit. de Anno 1548. tit. 31. §. 2. & de Anno 1577. tit. 32. §. 2.* Quorſum vero hæc? qui educare alterum vult, potiſſimum modeſtia, honeſtate, ſanctitate vitæ morumque innocentia præire alteri debet. Has ſibi virtutes vindicat Cenſura, atque ita vindicat, ut ſi abſint, cenſura in turpitudinis vitium incidat. Potentiam vi quæſitam facile metu retinemus, uti ſupra diximus: diſciplinam, niſi virtutis opinione muniamus, facilius amittimus. Unde & tutor, quam primum alimenta non præſtat, ut ſuſpectus accuſa-

Tutoris Officium in quibus conſiſtat.

Primarium officium conſiſtit in tuendo educandoq; pupillo. Ideoque mores Tutorum inveſtigandi.

Qui ament pupillos. Notatur Gothofredus.

Olim in Tutoris à Patre dati mores non inſpiciebatur. Hodie vero omnino.

Quid requiratur ad educationem. Cenſura virtutis opinione conſtat. Tutor alimenta non præ-



Digitized by Google

ri & removeri poteſt. *L. 3. §. 14. & L. 7. §. 2. de ſuſpect. tut.* Quid vero per alimenta intelligant JCti, hoc explicatur in *L. fin. de aliment. & cib.* ubi veſtitum & habitationem contineri alimentis, ſcribit Paulus JCtus. Julianus vero *in L. 4. ub. pupill. educ.* alimentis etiam mercedes, *ut liberalibus artibus* inſtitueretur pupillus, includi, autor eſt: ad quem locum Gothofredus adnotat, *qui alium alere tenetur; eum quoq; jure naturali teneri, ad imbuendum eum artibus liberalibus, adeo alimentis artes, eruditionem, diſciplinam ineſſe intelligi.* Quod, quomodo intelligendum *conf. §. XXXIII. ſupr. conf. tit. C. ubi pupill. educ. deb. & ad eum nota Gothofred.* Quod ſi itaque educandi neceſſitas incumbit tutori, an hic applicabimus regulam ſupra ex Grotio allegavimus? Cui competit educatio, ei competit & modica caſtigatio, ac numne exinde concludemus cum B. Dn. Stryck. *Diſſ. de alap. cap. 2. n. 4.* Cui competit modica caſtigatio, ei etiam competit jus alapam infligendi? Ita eſt. Sine mediocri diſciplina, educatio non ſuſcipi, ne dum perfici poteſt. Sed ea moderatior erit ceteris, quas jam vidimus. Eſt pupillus caput liberum, eſt paterfamil. eſt civis. Unde leges honeſtos, ac benignos magis & humanos in Tutore mores exigunt, quam triſtes illas ac aſperas Monitorum monitiones: quare plus minis terrebit, quam verberibus Tutor, magis blanditiis emollire animum, quam caſtigatione flectere tentabit. Quod ſi duriorem animum levi coercitionis metu in viam reducere inſtituerit, non puto pupillo actionem injuriarum competere. Leviorem adhuc diſciplinam habebit Curator, qui bonis datur non perſonæ, niſi iis perſonis datus ſit, quibus, ob malos mores ac furioſam rerum ſuarum adminiſtrationem, bonis interdictum eſt. *L. 12. §. 2. de Tutor. & Curat. L. 1. pr. de Curat. furioſ. & aliis.* Accidebat enim apud Romanos, cum pupilli iſta tenera ætate tutorum poteſtate liberarentur, adoleſcentes plerumque in quodvis libidinis luxuriæve genus diffluí, unde poſtea Curatore impetrato, ad officium reducendi erant. In hos itaque admonitio interdum aſperior conceditur, ſine qua diſſoluti mores vix temperantur. Apud Germanos nulla tutelæ ac curæ differentia. *J. Provinc. Alem. cap. 95. §. 3.* In der Geſchrifft (ſcripto jure ſcilicet Civili aut Canonico) ſind ſie (tutela & cura) geſondert an ihren Rechten/ aber vor Leyen-Recht (noſtris moribus) haben wir eines als das andere (utimur pariter uno ac altero). Inſuper nobis non eſt ea differentia auctoritatis ac conſenſus ſolennis, quæ erat Romanis, de qua re vid. *Diſſert. Dn. Wordenhof. de libert. teſtand. ſtatutis*

ſtans ſuſpectus eſt.

Ad alimenta ſpectat inſtitutio in bonis artibus.

Ob neceſſitatem educandi Tutor quoque habet jus modicæ caſtigationis.

In quibus conſiſtat diſciplina tutoris.

An pupillo competat actio injuriarum contra tutorem.

Laxior adhuc diſciplina Curatori competit.

Exceptio in Curatore furioſi.

Jure Germ. differentia tutoris & curatoris nulla.

Digitized by Google

*tis Hamb. reſtricta* §. 29. Unde nobis eadem educatio à teneris annis, ad ultimam usque pubertatem, quam ab Ao. demum XXI. incipere ſupra oſtendimus. Quæ vero cum illa educatione ſit poteſtas ac diſciplina conjuncta, quæſo audiamus Schilter *Exercit. XXXVII.* §. 5. *Ceterum poteſtas hæc in perſonam à patria poteſtate multum differt, cum filiusfamilias totus dependeat à patris voluntate, & propriam voluntatem non habere cenſeatur. L. 4. de R. J. At pupillus caput liberum eſt, ſuive juris, ac propriam voluntatem habere dicitur*, & deinde. *Per hanc etiam poteſtas educandi & inſtituendi, atque de alimentis pro perſonæ dignitate & facultatum modo diſponendi, jure tutoris continetur.* In not. hæc lego, *Atq; durat iſta neceſſitas alendi minorem* (eo ſenſu, quo alimenta ſupra ſumſimus, ut educationem includat) *usq; dum rationes Tutor reddiderit, easq; juſtificaverit, prout reſponderunt Scabini Lipſienſes.*

Quæ tutoribus Germ. competat diſciplina.

§. XLVII.

Eruditur autem pupillus à Præceptoribus atque inſtituitur in artibus, aut liberalibus, aut illiberalibus. Mitior diſciplina in illis, quam in his. Namque:

Quæ coercitio competat Præceptoribus.

– – – – didiciſſe fideliter artes
emollit mores, nec ſinit eſſe feros.

Unde vero illa diſtinctio liberales inter & illiberales? *vid. Obſervat. 4. tom. 1. Obſerv. Hallenſ.* ubi variæ vocis demonſtrationes excuſſæ. Verior eſt Wowerii ſententia *Polym. pag. 23.*, qui liberales dici ait, quæ libero homine dignæ ſunt. Atque eam opinionem adjuvabunt, quæ poſtea, de illiberalium artium in Germania uſu, adjiciemus. Ab omni enim ævo creditum eſt, animum bonis litteris imbuiſſe, aut eſſe opus libero homine digniſſimum, aut reddere hominem ingenuum, ceteras vero lucroſas operas, ſpectare ad ſerviles animas. Non diſputabo nunc, ea ſententia num ſatis æqua ſit, aut juſta ratione nitatur. Sufficiet nobis uſus Germaniæ ac plerarumque gentium perpetuus, vid. *L. 1. §. 6. & 7. de Extraord. Cognit.* Ceterum liberales artes, quod propius ad noſtrum argumentum accedit, aut privatæ aut publice diſcuntur. Utrinque levior diſciplina. Uti enim ſchola, ſive illa privata ſit, ſive publica, palæſtra debet eſſe ſapientiæ, & omnium Virtutum Magiſtra, ut Cæſar loquitur in *L. 1. C. Th. de Decur. V. R.* quæ ſi vera ſunt, nihil magis à ſapientia eſt alienum, quam coactio vid. *Obſerv. Hallenſ. tom. 1. Obſerv. X. §. 28.* Sapientia enim vult inſtillari non imprimi, doceri non mandari, ſuaderi non juberi. Atque diſcipulus aberrans, aut

Artes ſunt aut liberales aut illiberales.

In liberalibus levior diſciplina.

Quia ſapientia non vult cogi.

à bono, aut à vero, non tundendus, non verberandus, non opprimendus, ſed reprehendendus, corrigendus, convincendus, atque monitione reducendus eſt.

Hodie in Scholis ſapientia non docetur.

Sed quam nunc ab iſta ſchola receſſimus! non amplius ſapientia docetur, ſed ſterilis barbararum vocum, infelici interſperſo lolio, coacta collectio.

Vir ſapiens quis? Qui ſapienter vivit. Non qui raciocinantur.

Vir ſapiens eſt, qui bene ac caute vivit. Bene, quod nihil faciat, aut juſto aut honeſto aut decoro contrarium. Hoc vero eſt, non contemplari juſtum, honeſtum, decorum; quo poſſint ſuo principio conjungi, quæ eorum ſint cauſæ, efficiens, formalis, materialis & finis; ſed animum habere & voluntatem ab iis factis, quæ lædunt pietatem & verecundiam, maxime abhorrentem. Caute, quod rebus ſuis bene conſulat, caveat ne ab inimicis opprimatur, amicorum opera utatur ad ſuam ſalutem. Sed is vir ubi gentium eſt, qui ſe ita formatum in Scholis gloriari poſſit? Erudimur,

Eruditi non ſunt ſapientes.

h. e. è rudibus & barbaris ſimus eruditi. Sed eruditi ſæpius ſunt injuſtiſſimi, ab honeſtate plurimum alieni, ſæpiſſime vero, imo plane dixerim ſemper maxime indecori. Quid vero ita? Doctos habemus ac eruditos qui non ſapientes ſunt ſed ſtulti. Sapientes, qui ſunt indocti. Eam nobis eruditionem ſtultam, & ſapientiam indoctam peperit opinio:

Fons ſtultitiæ.

imo error, quod ſapientiæ ſedem eſſe Cerebrum putaverint. Ergo illud obrui imagine inutilium idearum oportuit: adeoque qui primi *σοφοί*, mox Philoſophi i. e, ii, qui deſparatum opus, cohibere voluntatis effrenem libidinem, putantes, ad contemplandam ſapientiam ſe converterunt. Atq; tum Philoſophia contemplativa effecta eſt, quod pariter abſurdum eſt, ac verbis eſurientem ſtomachũ implere velle. Doctrina ſa-

Antiqua ſapientia quæ? quanta, quanta practica.

pientum quæ fuit? Solon dixit: *καλοκαγαθίαν ὅρκȣ πιςότερον ἔχε, μὴ ψεύδȣ. φίλȣς μὴ ταχυς κτῶ, ὓς δ᾽ ἂν κτήσῃ, μὴ ἀποδοκίμαζε.* &c. Virtutem & probitatem ſacramento fideliorem cenſe. Mentiri noli, amicos non ſtatim para. Si paraveris, ne rejicito. Et deinde. Tum rege, cum obedire didiceris. Diog. Laert. *in Solon.* Thales loquacitatem vehementer caſtigavit, atque itidem Chilo, qui non concedendum eſſe ajebat, ut lingua ſit celerior mente Diog. Laert *in utriusque Vita.*

Mixta tamen contemplativa aſtronomia.

Atque tamen ipſe Diog. Laert. *in Vit. Thalet.* autor eſt, hunc Philoſophum ab anu riſum eſſe, quod ea ſcrutabundus, quæ in cœlo eſſent, negligensque, quæ ante oculos eſſent, pronus in terram caderet.

Thaletis ſucceſſores ſta-

In eam deinde Aſtrologiæ contemplationem, ſtatim ſe plane totos rejecerunt Thaletis ſucceſſores, Anaximander, Anaximenes, Anaxagoras, qui Scholam Athenas tranſtulit, & Archelaus. Namque ſtatim exinde

Digitized by Google

de elucet, quod ſimplicis ſapientiæ modum, qui eſt præcepta brevia ad vitæ commodum atque utilitatem ſpectantia ſubjicere oculis, egreſſi, eas regulas ordine docere in Schola, ſeu conventu hominum diſcendi cauſa collecto, easque curioſis quæſtionibus, de principiis infinitis pluribusque Diis, quas ſtatim Anaximander protulit, de aere, calore & terra, quas Anaxagoras propoſuit, miſcere cœperint. Socrates Archelai auditor, morum doctrinam reſtituit primum, ac fabuloſis inutilibusque quæſtionibus purgavit: vid. Plutarch. *in Placit. Philoſ.* & Auguſtin. *de Civit. Dei.* Sed & tum ſapientiæ doctrina jam tum eruditio habere cœpit. Magis enim ſollicitus fuiſſe videtur, ut bene loqueretur de moribus, quam ut eos generoſo exemplo, ac brevi inſtitutione formaret ad vitam beatam.

tim philoſophiam contemplativam propagarunt.

Socrates practicam philoſophiam reſtituit, ſed jam per modum ſyntagmatis.

## §. XLVIII.

Id vero declarant ſuo maxime exemplo ejus Sectatores. Ariſtippus Cyrenaicus, à quo Cyrenaici, primus mercede conductus, ſapientiam ſuos docuiſſe dicitur, isque voluptatem non mentis ſolum, ſed & corporis etiam (Laertius putat fœdam) principium omnis doctrinæ ſuæ fecit. Euclides Mægarenſis, non quidem ille Mathematicus, ſed alter Socratis diſcipulus à diſputandi calore, quem in ſectatores ſuos propagavit, *ἐριςικῶν* cognomen ſuæ ſcholæ conciliavit. Imo Voſſius *de ſect. Philoſoph. cap.* 11. tradit. Euclidem audiviſſe Eubulidem, hunc Alexinum Elienſem & Apollonium *τὸν κρόνον*. Hujus diſcipulum Stilponem doctrinam *περὶ* [illegible]*ωμάτων καὶ κατηγορημάτων* adinveniſſe, materiam quidem ſtultiſſimarum controverſiarum. Quid vero (ut Anthiſtenem Cynicorum Conditorem, & ſtoicæ ſectæ Avum prætereamus, namque & hos oſtentationi magis inſerviiſſe, quam veræ ſapientiæ, alii jam tum ante nos demonſtrarunt, certe riſit jam ſuo tempore, teſte Laertio, Philemon *νεώτερος* mediæ Comediæ Poeta, in Dramate *Φιλόσοφοι*, in quo Zenonem ante alios traduxit.) quid nunc dicam de Platone, illo idearum omnium Patre atq; artifice, quid de Academicis, quorum omnium philoſophia nulla magis re clara fuit, quam quod tandem in intellectu ſapientiam eſſe nullam confiterentur. Quam vero divinus ille Ariſtoteles, ſapientiam omnem evertit, longa ſua & tædioſa prædicamentorum locorumque topicorum (quibus nihil aliud tribui, quam, ut cum ſumma arte mentiri poſſimus) fabula ac tenebris, imo infernali entium nocte? Ut recentiores taceam

Ejus auditores ſectas fecerunt.

Cyrenaicus primus mercede conductus docuit.

Euclides controverſiarum auctor.

Stilpo diſputationis logicæ auctor.

Cynici & Stoici ambitionis gratia philoſophati ſunt.

Plato idearũ auctor.

Academici in intellectu nullam ſapientiam eſſe agnoverunt

Ariſtoteles plurimarum

Digitized by Google

ſubtilitatum auctor.

ceam Ramiſtas, Thomiſtas, Scotiſtas, Gaſſendiſtas, Carteſianos &c. qui omnes ſimplicem vitæ morumque ſanctitatem prætervehentes, in orbe Cerebri vago errore circumacti, ſuaviter ſibi de veritate gratulantes, & ſibi & aliis impoſuerunt.

Sapientia eſt una. Sed Philoſophiæ tot, quot ſectæ. Ac multiplices partes.

Ita vero factum eſt, ut cum ſapientia una ſit, tot enaſcerentur inde Philoſophiæ, quod fuerant cereba, tot membra, & partes (quas vera σοφία nullas habet) quod cerebri in diverſa aviæ. Inde Rhetorici, Sophiſtæ, Dialectici, quorum ultimus, ut eſt apud Laertium fuit Philo (vid. Clem. Alexandr. *lib. 4. Strom.* de filialibus quinque Diodori Croni Dialectici) Philologi, quod nomen primus uſurpavit Eratoſthenes, Cyrenæus, Polyhiſtores, quorum primus fuit Alexander Cornelius patria κοτυαεὺς (Plin. *L. IX. 35.* ex hoc duos facit Alexander Polyhiſtor & Codines, uti obſervavit Jonſ. *de Script. hiſtor. Philoſ. 11. 16.*) Grammatici, Muſici, Poetæ, Comici, Mathematici, Phyſici &c.

Sapientia non altercatur, Philoſophia controvertit.

Inde odia illa & obtrectationes, quibus Philoſophiæ non ſapientiæ ſectatores ſe invicem proſciderunt. Stulti enim ſtomachantur, ac inſipientes altercantur, non ſapientes aut ſapientiæ cultores.

Odia inter Socratis & Epicuri Scholam.

Inter Socratis & Epicuri Scholam perpetuæ controverſiæ, uti tradit Quintil. *lib. V. Inſt. Orat. cap. 7.* Laertius vero purgat Epicurum à contumelia, qua ſtoici eum obruerant, quaſi intemperanter de Stoicis ſenſerit, nec conviciis abſtinuerit. Jonſ. *Lib. 11. 15. de Script. hiſtor. Philoſ.* Diotimum Stoicum ſuppoſuiſſe epiſtolam, quam Epicuro adſcripſerant, auctor eſt. Suggerit autem Laertius cauſam odii, quod *florente ſemper clariſſimorum diſcipulorum ſerie Schola Epicuri, reliqui in invidiam ac obtrectationem exarſerint.* Vides morbum Philoſophiæ cerebrinæ, namque vera ſapientia ſuos Cultores inter ſe dulciſſimo amoris vinculo conjungit.

Socrates traductus. Ariſtoteles. Seneca.

Socratem traduxit Ariſtophanes antiquæ Comediæ auctor, quem multi defenderunt, inter alios Plato, Xenophon, Plutarchus. Platonem Ariſtoteles momordit, Senecam Suilius uti infra: alios alii.

Pugna inter Philoſophos & Rhetores Philoſophi. Magi, Aſtrologi, Mathematici, ut turbatores pulſi è Republica.

Acerrima inter Philoſophos & Rhetores & Sophiſtas pugna fuit, adeo, ut inſidiis Sophiſtarum à Sophocle pellerentur Athenis Philoſophi, tanquam peſtes Reipublicæ Olymp. CXX. teſte Athenæo *XIII. 9.* Auguſtus, Magos & Aſtrologos, Tiberius & alii Mathematicos, Antiochus omnes iterum Philoſophos, Meſſenii & Romani tum Rhetorum, tum aliarum ſectarum calumniis ac ſtimulis Epicureos, *Gell. XV.* 11.

Muſeum Alexandrinum creditum ſedes ſapientiæ.

Muſeum illud omnium Philoſophorum clariſſimum, quod jam Ptolomæi tempore floruit Alexandriæ, in quod gentium, ſacerdotum



Digitized by Google

dotum, ac Deorum immortalium ſapientiam congeſtam crederes, (Strabo *lib. XVII.*) ita ridet Timon apud Athenæum *lib. 19.* Riſum, ut ſedes Controverſiarum.

Πολλοὶ μὲν βόσκονται ἐν Αἰγύπτῳ πολυφύλῳ
βιβλιακοὶ χαρακεῖται ἀπείριτα δηριόωντες
Μυσεῶν ἐν ταλάρῳ
ἕως ἂν τῆς λογο διαῤῥοίας ἀπαλλαγῶσιν.

*Permulti paſcuntur in Ægypto populoſo*
*Pugnantes libris ac ſemper degladiantes*
*Muſarum in Cavea.*
Ut de verbis rixari nunquem ceſſent.

§. XLIX.

Quæ cum ita ſint, ſi ad partes tranſire vellemus, jure forſan hic exclamare poſſemus, cum Demochare Rhetore, qui pro Sophocle Rhetore ſcripſit, contra Philonem Philoſophum, uti auctor eſt Cic. *in Brut. O dementem eam ſapientiam, O ſtultam vanitatem, quæ homines ita avertit ab amore, ut propter verba ac ſyllogiſmum rixentur!* quantum diſtat eruditio à ſapientia? ſed quid ea ad nos, dicam nunc. Sapientia amabilis eſt, & brevibus paucisque exemplis abſolvitur. Simplex, docilis, ſine ornatu, cauta, ſobria, humilis: nihil intelligit præter abſtinentiam à malis. Philoſophia rixoſa, contumax, latiſſima, diffuſa, turgida, obſcura, difficilis, phalerata, fucata, intemperans, *μισάνθρωπος*, regnandi cupida, ſupra cor philoſophans; illud intactum relinquit, cerebrum vento ac fumo replet, ac cum hoc famam exiſtimationemque virtutis vendit. Accedunt Scholaſticorum in recentiori ævo tenebroſa vocum inanium collectio, diſputationumque de nihilo æternitates, quæ non tantum levia quædam, inter altercationes veterum, veræ ſapientiæ relicta veſtigia penitus extinxerunt, ſed & ſtultiorem ac inſaniorem ſubſtituerunt. Ita vero factum eſt, ut cum primi ſapientes voluntatem pio exemplo cautaque & amica manuductione emendare omnem operam collocaverint, Philoſophi deinde prætervecta voluntate ſolum intellectum poliendum exiſtimaverint, Scholaſtici plane ad memoriam ac ingenium prolapſi fuerint, atque illam infinitis regulis, nocturnis ignotarum vocum imaginibus terruerint magis, quam obruerint, hoc vero fallaci & doloſa diſputandi arte inſtruxerint. Uti vero Judicium ſumme liberum eſt, ita memoria, quæ Cholerico exigua, ſanguineo fugax, melancholico, quamvis tenax, tamen ad

Sapientiæ & Philoſophiæ differentia.

Sapientia voluntatem corrigit. Philoſophia intellectum acuit. Memoriam obruit. Ingenium fallit. Philoſophia vi docenda.



Digitized by Google

culo exemti, ipſi Principi ſubſunt. Carpz. *7. Defin. Eccleſ. 402.* Eosdem habent coercitionis modos, quos Prælati in Monachos. Carcerem, mulctam, translationem, remotionem &c. Atque ideo eſt, quod Academiæ, ut collegia Eccleſiaſtica, cenſuram tantum exercuerint *C. 10. X. de V. S.* quæ cum nunquam aut rarius ad mortem extendatur, ac inſuper Clerici, ni velint fieri irregulares, ſanguine abſtinere debeant, olim in Academiis de Jurisdictione criminali nihil unquam exauditum fuit. Equidem pugnat fere ea jurisdictio cum fine cenſuræ. Quis enim unquam, diſcipulum aut auditorem ſapientiæ fuſtigatum à Præceptore ſuo aut relegatum cum infamia aut plane capite punitum audivit?

Inde olim coercitio Academiorum non fuit capitalis.

-- -- -- Tantæne animis cœleſtibus iræ?

Sed poſtquam ſapientia ſtultitia facta, & mercede conduci cœpit, hæc *μεταμόρφωσις* facile contingere poterit. Nam primum, cum præſertim Fridericorum, Henricorum & Ludovici Bavari temporibus Profeſſores præſertim Legiſtæ interdum egregiam Cæſaribus operam contra Papam & Decretaliſtas navarent, Pariſienſis vero, Gallicanæ Eccleſiæ libertatem contra curiæ Romanæ ambitum, maſcule defenderent, atque ideo ab Academiæ Pariſienſis decreto, pene univerſa Galliæ doctrina penderet: Inſuper Conſilium Principum ac ipſius Cæſaris Doctorum auctoritate regeretur, qui Academiarum commodum tanto magis cordi habebant, quod ipſi ab Equitibus Germaniæ interdum impeterentur, Profeſſores vero ipſis primitias ſuas dedicarent, eosque impenſe laudarent, à quorum laude ſuam exiſtimationis immortalitatem proficiſci credebant, facile Profeſſores impetrarunt, ut Cives, qui ob delicta Magiſtratui ſuberant (namque olim vox Magiſtratus Academicus inſolita & inſulſa erat) ei eximerentur, ſibique ſubjicerentur. Eo enim faſtus Profeſſorum pervenerat, ut viris Principibus pares videri vellent. Unde illæ voces, imperium ſcholaſticum, majeſtas ſcholaſtica, & repetitiones neſcio quarum hiſtoriarum, quod Elector Brandenburgicus noluerit præire Rectori Francofurtano, quia (ita eum dixiſſe ferunt) Electoris in Academia jurisdictio ceſſaret, Rectoris inciperet. Certe aut Sabinus (hoc eſt Rectoris nomen) comœdiam agere voluit, aut aulicis ſe ridendum propinare ultro voluit, (familiaris enim erat Electori, &, quod ſufficit dicere, Poeta) aut non ſuboluit imponi ſibi ab Electore. Conf. Schwed. *J. P. part. ſpec. cap. 6. §. 9.* Hodie itaque ad Cenſuram pertinent carcer, relegatio. Cum itaque à pri-

Legiſtarum in aulis auctoritas.

Unde Academiis eximia & olim incognita jura.

Praxis hodierna Academiarum.



Digitized by Google

bitaſſe, utrum locati actione teneretur. Namque, ſi eidem Ulpiano credimus in *L. 13. §. 4. Locat.* Julianus *lib. 66. Digeſt.* ſcripſit in ſutorem, qui puero cervicem percuſſerit, ut ei oculus effunderetur, dandam ex locato actionem Patri ejus. Deinde verum non eſt, Julianum aut dubitaviſſe aut dubitare unquam potuiſſe, quod actio locati ex hac ratione non poſſit competere, quia levis duntaxat caſtigatio Magiſtris competit. Namque, qui quæſo hæc ratio poterat eſſe dubitandi? Tranſiit enim legem locati conducti, qui aliter re utitur, ac debuit. Ergo cum levis ſaltem caſtigatio permiſſa Magiſtris eſt, ſutor vero oculum puero corrupit, tranſiit legem contractus: Itaque dandam in eum actionem eſſe, pronunciandum erat. Atque hanc quoque Juliano fuiſſe cauſam dicendi, apparet *ex all. 13. §. 4.* dixit enim, quamvis ſcilicet Magiſtris levis caſtigatio permiſſa ſit, tamen hunc modum non tenuiſſe. Aut itaque *in L. 5. ad L. Aquil.* occaſionem diſſentiendi à Juliano quæſivit, aut immemor ſui fuit, cum in *L. 13. Locat.* ad ſuperiorem ſe tamen locum retulerat. Addo locum Quintiliani *Lib. 1. Inſt. 3. in fin.* quid de hac re ſenſit: *Cædi diſcentem (quam & acceptum ſit, & Chryſippus non improbet) minime velim, quia deforme ac ſervile eſt:* (hoc quæſo applica ad diſcipulos ſapientiæ) & poſt: *hoc dixiſſe ſatis eſt. In ætatem infirmam, & injuriæ obnoxiam, nemini debere nimium licere.*

## §. LI.

Adnotat Gothofredus ad *L. 5. ad L. Aquil. Ingenui Romæ etiam diſcebant ſerviles artes.* Innuit autem hoc ipſo Gothofredus, opificia atque alias operas manuarias, apud Germanos & Francos ingenuo homine vix dignas habitas eſſe, atque adeo ſerviles ſemper artes cenſitas, quibus ſervi non vero ingenuæ mentes occuparentur. Imo ingenui olim armis tantum tractandis adſueti, ab omni lucrandi arte, quaſi cum nobili & generoſo ſpiritu non conveniente, adeo horruerunt, ut nec ſumma licet neceſſitate compulſi, ejus quidquam exercere decorum duxerint, qui vero ea antiquum nobilitatis decus inquinarent, ex ingenuorum numero exturbandum eſſe crediderint: qua de re præter multa alia vid. Adel-Spiegel *Lib. 3. cap. 4.* Illuſtrat rem Gaguin. *in deſcript. Sarmat. Europ. Mechanicum opus, nobilis quamvis pauperrimus non obit. Nobiles nobilibus, pareſq; genere & virtutibus paribus inſerviunt.* Imo Mechanici adeo ingenuis exoſi, ut nullum cum eis commercium habuerint H. Spelmannus *in Gloſſario Hi* (Caſtellani Burgwahrii) *dum cauponandis mercibus & rei mechanicæ operam navarent, generoſa turba, mili-*

Apud Germanos & Francos ingenui operas mechanicas non addidicerunt.

Ingenuus mechanicus factus, ingenuitatem amiſit.



Digitized by Google

manicis impoſitum ſemper fuiſſe, indicio eſt', quod ſolemne in Aula Francor. officium fuerit Manſionarii, uti refert Hincmar. *in Epiſt. ad Ord. Regn. de inſtituend. Rege.* Cujus officium fuit, parare Albergas (Herberge / Quartier) inſtruere pro Aula domus in urbibus, imperare paratas, ſeu angarias & fodrum &c. (Futter / für Mann und Roß) Teſtatur id Otto Friſing. *lib. 1. de geſtis Frid. l. 2. cap. 12.* ubi ex omnibus, quæ terra producit, quantum ad regios uſus neceſſe fuerit, urbes ſuppeditare oportere docet. Atque vero angarias præſtare ſervile munus fuit, nunquam ingenuis impoſitum. Cangius *voc. Angaria. Angaria ſunt perſonalia ſervitia, quæ quis inperſona implere cogitur.* Ita Otto Dux Bavariæ *Angarias*, ad quas Saxones ab Henrico IV. cogebantur, ut perficeretur Hertesborg Caſtellum, vocat *Operas ſerviles*, quibus ingenui non onerandi in *Chron. Magdeb. apud Meibom. Tom. 2. ſcript. Germ. pag. 294. & 95.* Cum itaque onus ſervile à priſcis Cæſaribus impoſitum ſit, videndum, qui illud præſtiterint. Fuerunt autem in urbibus Germanicis, aut nobiles, aut Plebeji, aut, ut habet Privilegium *Arnoldi Moguntini Pontificis, huic urbi datum de Anno 1135.*, quod citat Lehmann. *Chron. Spiren. lib. 4. cap. 14. Liberi, familiæ* (credo legendum eſſe liberæ familiæ) *Cives & Opifices.* Vides hic liberas familias, quas nobiles appellaveramus, Civibus, & hos opificibus opponi. Opifices ſervilis generis fuerunt, quibus ingenui abſtinuerunt, ipſi nullum unquam Magiſtratum ambire potuerunt: Sie ſind nicht Schöppenbare freye Leute geweſen / vid. Illuſtr. Dn. Thomaſ. *Diſſert. de hominib. propr. §. 95.* Conf. Datt. *de P. P. L. 4. 3. 38.* ante omnes Lehmann. *all. loc.* ubi ex *Munſtero, Bruſchio & Eiſengrein* rem egregie illuſtrat, atque docet, in urbibus antiquitus fuiſſe freye Bürger und Einwohner. Illos ingenuos, ſeu nobiles (nam hæc antiquo jure ſunt *συνώνυμα*) hos ſerviles conditionis. Ergo cum opifices ſervi fuerint: his præſtandæ quoque ſerviles operæ atque angariæ fuerunt. Hinc pergit Lehmann. Welche (Handwercker) neben anderen Beſchweren auch dieſe auf ſich gehabt: Wann ein Käyſerl. und Biſchöfl. Beammter / Geſandter oder Diener gereiſet / haben ſie Macht gehabt / von Metzgern / Beckern / und andern / was ſie zur Nothdurff bedurfft / vergebens zu nehmen / Pferde / Wagen / Schiff und Geſchirr zu fodern / und haben die Handwercker / Schiff- Fuhr- und Acker-Leute / alle Dienſte zu Frohne (Frohne vero, uti explicat ipſe ex Vadian. *fol. 67.* dicitur de ſervis, quando communes & debitas operas dominis præſtant) thun müſſen / und hat Frohnen geheiſſen / was die Leibeigene ihrer

Manſionarii.

Angariarum.

In urbibus Nobiles, ingenui & liberti.

Opifices liberti non geſſerunt Magiſtratus.

Præſtant Angarias.

rer

Digitized by Google

ſit, frey niemands eigen auch nicht gelaſſen / docendum per litteras natalitias volunt. Nec ſpurios cooptant in Tribus, nec Caſtratores ſuum, nec Paſtores ovium &c. ac ſi iſti infra libertorum eſſent conditionem. Ex iis autem, quæ hactenus diximus, credo nunc ſatis intelligi, unde ſit, quod Tyrones, & qui poſt manumiſſionem aus der Lehr gegeben / primum tyrocinium poſuerunt vocentur Jungen und Knechte / Schuſter-Schneider-Jungen / Metzger-Becker-Knechte. Cum enim olim ſervi fuerint, aut manumiſſi minimum, nacta licet libertate, vetus indicium ſervitii retinuerunt. Ergo fruſtra diſciplinæ hic terminos ponemus, ubi in ſervum quis extravagari nequit. Injuriæ non ſufficient: alapæ durum & ſervile ingenium non coercebunt. Verbera itaque applicanda, quæ ita temperanda ſunt, ut magiſter ſciat, ſe in Republ. eſſe, quæ nullam vim violentam tolerat. Honeſtius agitur cum mercatoribus. Namque etſi & hi ſatis duriter pueris tyronibus uſi ſint, adeo ut ſervilia interdum in domo munera obire coacti fuerint, quoniam tamen liberioris ſemper fuerunt ſtatus & ad dignitates quoque admiſſi, hodie plerumque, ut mitiores tyrones habeantur, Magiſtris ſolvunt pro doctrina annuum brabeum.

*non admittuntur ad opificia ſervi.*

*Veſtigia veteris ſervitutis.*

*Tyrones opificum ſerviliter habeantur.*

*Honeſtius tyrones mercatorum.*

## §. LII.

Ad familiam redeamus, in qua poſt uxorem & liberos, reſtant adhuc ſervi. An prima ſervitutis origo ſpontanea deditio, an vero captivitas fuerit, non opus eſt multum diſcutere. Captivitatem fuiſſe multum veroſimile eſt. Nam quæ in ſumma omnium æqualitate dedendi occaſio? non egeſtas, cum omnia ſint communia; non metus, in paritate ea membrorum, artuum viriumque. Quod ſi metus ſuaſiſſet, non ſervitus inde, ſed ſocietas orta fuiſſet, ut conjunctis viribus communis hoſtis repelleretur. Ergo captivitas. In captivum vero omnia competunt, cum occidere potuiſſem. Qui enim poſt ſervatam vitam, tolerabilem ſervitutem eſſe oportere contendunt; magis ad humanitatem commovere Dominum, quam quod juſtum eſt, docere videntur. Itaque non coercetur ſaltem ſervus & ſeverius caſtigatur, ſed ſi committat aliquid aut contra commodum aut dignitatem Domini, puniri, imo occidi poteſt. In eo enim differt ſervus à filiofamilias & uxore, quanta etiam Marito & Parenti in eos ſit poteſtas, ut imperium in eos magis conſiſtat in cenſura morum, juxta proprium commodum, ad ſalutem quoque uxoris & liberorum accommodata: amamus enim naturaliter uxores, ingenito amore diligimus liberos. Sed ſer-

*Servitutis origo forte captivitas.*

*In diſciplina acrior, quæ jus quoque vitæ & necis comprehendit.*

*Differentia diſciplinæ dominicæ & paternæ.*



Digitized by Google

ſervos non diligimus, non ipſorum, ſed noſtri cauſa eos habemus, nec ipſorum, ſed noſtram unice ſalutem ac commodum quærimus. Eorum denique mores regimus, dirigimus & extra obſequendi officium vagantes *coercemus & punimus, non tam, ut ſapientiores fiant ſervi, quam, ut nobis magis placeant.* Ea eſt cauſa, quod omnium fere gentium mores hi fuerint, ut non tantum jus caſtigandi, puniendi & occidendi, etiam ſi meruerint ſervos, Dominis pleniſſimum conceſſerint, ſed jus etiam adquirendi per eos, adeo, ut quidquid ſervi habuerint, id Dominorum fuerit, nec ſervi quidquam proprii habere potuerint.

§. LIII.

Romanorum immenſa ſævitia in ſervos.

Quid apud Romanos obtinuerit, cum in re notiſſima verſemur, omittere eam, erit planiſſime explicare. Saltem quam diſciplinam exercuerint, paucis videamus. Illud vero cum jam excerptum video ab eruditiſſimo Milite Dn. Joh. Potgieſer. Procenturione quidem, ſed certe Duce omnium, qui hoc in genere ſcripſerunt, *incomparabili opere de Condition. & ſtatu Servor. apud German. lib. 1. cap. 1. §. 9.* hic longius allegare ſuperſedeo. Demonſtrat autem ibi ex bonis auctoribus, Romanos crudelius ſervis ſuis uſos: eos pecudum numero habuiſſe, & teſte Seneca *Epiſt. 47.* Romanos ſervis, non ut hominibus, ſed tanquam jumentis abuſos eſſe, & ut idem auct. *lib. de ira lib. 2. cap. 25.* ait dominos ad ſternutamentum aut muſcam parum curioſe fugatam, in rabiem actos; ſæpius, ut ſcribit Capitolinus *in Macrin. cap. 13.* Marcelli ſpecie cruentatas, ſanguine ſervorum, domus; famulos calcibus appetitos, iisdem confractos dentes, oculos ſtylo & calamo erutos & demum transfoſſos, ancillas, ſi non commode aut celeriter ſatis ornarent, à Matronis unguibus ac acu petitas: uti Ovid. habet *lib. 3. de arte amandi*:

Tuta ſit Ornatrix: odi quæ ſauciat ora
Unguibus, & rapta brachia figit acu.

Und. Juvenal. *Satyr. 6. verſ. 480.* eam præfecturam domus duriorem Sicula aula, cujus Principem Tyrannum appellabant Romani, eſſe ſcribit:

-- -- -- Hic frangit ferulas, rubet ille flagellis
Hic ſcutica: ſunt quæ tortoribus annua præſtent.

& deinde: *verſ. 485.*

Et cædit donec, laſſus cædentibus, exi:
Intonat horrendum, jam cognitione peracta
Præfectura domus Sicula non mitior aula.

Quam

Quam ſævitiam ex opinione ſupremi in familia arbitrii provenientem, cum Cæſares ferre neque poſſent, nec vellent: Hadrianus primum occidi ſervos vetuit, & ſi qui digni eſſent ſervi, eos per judices puniri voluit, uti refert Ael. Spartian. *in vit. Adrian.* Antoninus, confugientibus ad ædem ſacram vel ſtatuam Principis promiſit ſecuritatem, dominos ultra modum ſævire in ſervos prohibuit, ſi facerent, juſſit, ut bonis conditionibus ſervum venderent (bonas conditiones eas accipio: ne fraus fieret legi, i.e. ne ſervus iis conditionibus vendatur, ut atrocius verberetur) ſi plane occiderint, pœnam paſſuri, quam ſuſtinebant, ſi alienum ſervum occidiſſent, i.e. pecuniariam *§. 2. J. de his qui ſui.* Hoc ſtatuit Antoninus, quaſi proſpecturus commodis Dominorum, quorum, inquit, & Reipubl. intererat, ne quis re ſua male utatur. Atque in prologo legis magis Cenſorem & Philoſophum agit: ſed in Epilogo ſe Cæſarem gerit: *Si quis mea Conſtitutioni fraudem fecerit*, inquit, *ſciat me ſeverius in eum animadverſurum.* Conſtantinus denique eum, qui ſervum occiderit, reum homicidii eſſe voluit. *L. un. C. de emendat. Servor.* Poſt quas Conſtitutiones non niſi levis caſtigatio Dominis relicta, ita vero jus omne ſæviendi in ſervos, eosque occidendi ademtum, ut nec ſervum in adulterio deprehenſum occidere licuerit, ſed omne ſtatuendi arbitrium penes judices fuerit. Cujac. *lib. VI. Obſerv. 17.* Quibus, ſi addideris circumſcriptam à legibus libertatem manumittendi per LL. Juniam, Norbanam, Aeliam, Sentiam & Furiam Caniniam, quas imprudenter ſatis Juſtinianus ſuſtulit, è contrario datam ſæpe ſervis in præmium libertatem, intelliges, ea omnia eum in finem inſtituta, ut, aut directe, aut indirectè, uti loquimur, dominorum in ſervos poteſtas infringeretur. Hoc ſingulare, Claudium Cæſarem ſervis, qui ob valetudinem à Dominis inhumanius ejecti erant, libertatem dediſſe. En exemplum ingrati animi à ſupremo Cæſare puniti De hac re Sueton. *in Vit. Claud. cap. 25. Cum quidam ægra & affecta mancipia in inſulam Æſculapii tædio medendi exponerent, omnes, qui exponerentur, liberos eſſe ſanxit, nec redire in ditionem Domini ſi convaluiſſent: Quod ſi quis necare mallet, quam exponere, cædis crimine teneri.* Hoc adhuc adnoto: Patronis quoque in libertos coercitionem competiiſſe. Debebantur Patronis operæ libertorum, debebatur pietas & reverentia & perſona patroni liberto ſancta debebat haberi *L. 5. & 9. de Obſequ. Parent. & Patron. præſtand. L. 1. 2. & paſſim. de Oper. libert.* Quam ſi violaverint, coerceri potuerunt; nec ſi verberati fuerint, pariter

**Hadrianus vetuit ſervos occidi.**

**Antoninus prohibuit ultra modum in eos ſævire.**

**Conſtantinus homicidii reum dixit, qui ſervum occidiſſet.**

**Non remanſit niſi modica caſtigatio.**

**Artes Cæſarum tollendi dominicam poteſtatem.**

**Claudius Dominum ſervo privat, qui eum ægrotum ejecerit domo.**

**Patronis in libertos quis modus coercitionis.**



riter

riter ac ingenuo actio injuriarum danda Ulpian. *in L. 7. §. 2. de injur. Levem coercitionem*, inquit, *utiq; Patrono adverſus libertum dabimus: nec patietur eum Prætor querentem, quaſi injuriam paſſus ſit, niſi atrocitas eum moverit: nec enim ferre Prætor debet, fieri ſervum hodie liberum conquerentem, quod Dominus ei convicium dixerit, vel quod leviter pulſaverit, vel emendaverit, ſed ſi flagris, ſi verberibus vulneraverit non mediocria* (lege mediocriter) *æquiſſimum erit, Prætorem ei ſubvenire.*

§. LIV.

Germani ſervos habuerunt & adhuc habent.

Reſpondetur rationibus dubitandi.

Germanos ſervos olim habuiſſe, & nunc etiam habere, poſt Lehmann. *lib. 2. cap. 20. Chron. Spirens, Huſanum & Hertium de hominibus propriis, Conringium, Thomaſium & noſtrum Potgieſerum*, contumaciter quis negaret. Qui negant, hoc potiſſimum urgent, eſſe contra naturam ſervorum, habere aliquid proprium, ac de iis diſponere poſſe: omne quod habeant, eſſe dominorum, adquirique Dominis. Noſtros vero ruſticos & habere propria prædia, ac de iis diſponere, tam inter vivos, quam per teſtamenta, ſibique, quod habent adquirere, non Dominis: Ideoque non eſſe proprie ſervos, poſſe tamen, quia eorum conditio non eis permittit eſſe plane ingenuis, vocari proprios homines. Iis reſpondemus primo id quidem falſum eſſe, à natura ſervorum eſſe alienum, ut habeant quidquam proprium. Servum eſſe, qui operas & actiones ſuas tenetur attemperare, non ad ſuam, ſed *Domini voluntatem & utilitatem*, in qua re imperium herile à paterno diſcrepare ſupra oſtendimus. Atque hoc facere oportere ruſticos, mit ihren Frohnen/ Hoff- und Hand-Dienſten/ nemo unquam negavit, Frohn-Dienſte vero operas ſemper fuiſſe ſerviles, ingenuo homine indignas ex jure Germanico ſupra §. *LI.* demonſtratum. Atque hoc jam ſuo tempore non ignoravit Tacitus: qui bene & forte melius JCtis intellexit, quid ſit ſervitus, quid ſervus. Ait ille *cap. 25. de morib. German. Suam quisq; ſedem, ſuos penates regit.* i.e. Ein jedweder Bauer hat ſeinen eigenen Hoff/ den er ſelbſt bauet und brauchet nach ſeiner eigenen Bequemlichkeit / nec tamen dubitat vocare ruſticos ſervos. Rationem vero, quare ſervi apud Germanos propriam ſedem propriosque penates habuerint, ſtatim ſubjungit: *Ceteris ſervis*, inquit, *non in noſtram morem, deſcriptis per familiam miniſteriis, utuntur.* Scilicet Germani non utuntur eo modo miniſteriis ſervorum, uti Romani, quorum maximus uſus eſt in domo. Non habent ſervum diſpenſatorem non pædagogum, non bibliothecarium, non triclinarium. *Officia enim domus*, ait, *apud Germa-*

Cur ſervi Germanici habuerint propria prædia.

Differentia ſervorum

*manos, uxores & liberi exequuntur.* Ad quid ergo Germani ſervis utuntur? Audi Tacitum, *Frumenti modum Dominus, aut pecoris, aut veſtis, aut colono injungit: & ſervus hactenus paret:* i. e. operæ ſervorum Germanorum non ſunt domeſticæ, ſed agreſtes. Terram colit, quam habet à Domino, frumenti inde adquiſiti partem Domino tribuit, qui aut pecoris, aut veſtis imponit ſervo aut colono. Namque, cum nullæ aliæ, apud populos omnes occidentem verſus & ſeptentrionem habitantes, divitiæ eſſent, quam agri, feræ beſtiæ, pecora & lac, uti de Abiis populo ſeptentrionali Homer. *Illiad. 13. 6.* qui eos γαλακτοφάγους, lactivoros appellat, de Alanis, Amian. Marcell. *Hiſtor. lib. 31. c. 7.* de Hunnis, *id. lib. 22. c. 19. & 31. 6.* de Scythis, Strab. *lib. 7. & 11.* de Gallis, Cæſar *de bell. Gall. lib. 6. c. 15.* de Germanis, ipſe Tacit. *de Morib. German. c. 19.* teſtantur: non poterunt ſervorũ operis ad comparandas aut augendas divitias aliter uti, quam ad agros colendos, pecoraque curanda, quippe quibus auri argentique uſus & mercatorii quæſtus ignoti erant. Adquiſiverunt ergo per ſervos, dum eis agros colendos commendarunt, quos cum arari oporteret, dandi neceſſario ſervis agri fuerunt, ex quibus equos & boves, quibus ad arandum uti poſſent, nutrirent, præſertim cum ſervos in domo non nutrirent, ac inſuper ob æris inopiam, mercedem, aut quantum ad ſuſtinendos ſervos pertineret, ſolvere non poſſent. Ergo, quod conceſſi ſint agri ſervis Germanicis, ex natura operarum eſt, non mutat eorum conditionem. Præſtant ex prædio ſuo ſervienti, cui junctus & adſcriptus eſt perpetua ſervitute angarias Potgieſſ. *laudat. Oper. lib. 3. cap. 3. §. 4.* conf. Cujac. *ad L. 7. C. de Fabric.* & ibi Marculf. *in formula ceſſionis in oratorium. Nullas functiones vel exactiones neq; caballorum partus aut paraverdos* (paar Pferde) *aut carrorum angarias.* Quod ſi ſunt angariæ carrorum, ut Marculfus ait, præſtationes, i. e. plauſtrorum, equis & carris opus eſt, atque adeo & agris, ad hos ſuſtinendos, unde & Cangio angariæ, ſunt operæ poſſeſſionibus impoſitæ. Deinde præſtat Frohn-Dienſte / quo nomine omnes reliquæ operæ ruſticæ denotantur, frohnen enim denotat cogere, præter alias ſignificationes. Frohn-Dienſte ergo ſignificat operas debitas exhibere. Hæ fuerunt variæ, ut facultatum ſervi tulit aut mediocritas aut amplitudo: Inde diſtinguntur in *Adnunt. Caroli apud Piſtas cap. 29.* ut habet Potgieſſ. *all. loc. §. 8.* in Caroperas & Manoperas in voll- und halb Spenner prout ſervus eſt cum Hoba, ein Hufener / & in Handlanger / Hand-Dienſte / prout eſt ſervus Caſatus Kátner / Caſſathe / h. e. Kothſaſſe / quia

Romanorum & Germanicorum.

Operæ ſervorum Germanorum agreſtes fuerunt.

Divitiæ Germanorum agri.

Qui colendi à ſervis fuerunt.

Inde agri concedendi ſervis.

Sed hoc non mutat naturam ſervi.

Præſtationes ſerviles.

Angariæ.

Frohn-Dienſte.

Quæ diſtinguntur in Caroperas & manoperas.

tuguria ſaltem è ſtramine ac gleba educta ſunt, nec illis pene aliud præter tuguriolum ſupereſt. Illi cum aratro colere diem integrum per hebdomadem hi operas manuarias perficere tenentur. Hos ſcilicet agros Dominus ſervo tradit, ut ad operas ſerviles præſtandas capax ſemper ſit: nec ii ſunt in dominio ſervi, ſed domini. Præterea enim, quod in plerisque locis, atque iis etiam, ubi tolerabilior ſervitus eſt, uſitatum ſit, ut, ſi ſervus plures liberos, aut maſculos, aut fœminas relinquat, nec inter maſculos, niſi ille, quem Dominus conſtituerit ſuccedere pleno jure, nec fœmina, niſi conſenſu domini nubere poſſit, Domini in teſtimonium dominii ſui, mortuo ſervo, ſibi vindicant optimum armentum, quod Hub-Recht/ Houpt-Recht/ Haupt-Recht apud veteres appellatur in *Charta Henrici II.* apud Mager. *de Advoc. armat. cap. 6. n. 758.* optimum caput pecoris das beſte Haupt-Vieh. Vocamus autem armentum vernacula lingua Haupt-Vieh / deinde optimam veſtem, quod jus vocatur Gewandfälle/ quod pannus denotat Gewand: Certe ſupinum eſt, quod in re tam clara cauſam juris, quod vocant mortuarii quærant JCti, cum ejus tam clara extent priſci dominii documenta. Namque id eſt, quod Tacitus ſupra dicit: *pecoris, aut veſtis modum ſervo à Dominis imponi.* Ridiculum eſt, illud à JCtione arcere velle, cum in ſervum, cui nulla mecum eſt juris communio, JCtionem exercere velle, contra dignitatem ſit domini.

Agri non ſunt in dominio ſervi.

Ratio ſuccedendi in agris à Dominio præſcribitur.

Dominus exercet jus mortuarium.

In ſervos exercemus coercitionem non JCtionem.

## §. LV.

Reſpondetur Mevio.

Propius ad rem Mevius: **Von Zuſtand und Abfoderung der Pauren.** *Qu. 1. n. 35.* qui non negat agros ruſticorum eſſe Domini proprios, ſed tamen, quoniam ruſtici viventes adhuc provenientes ex iis fructus vendere poſſunt, putat, eos ſibi adquirere, nec adeo plane ſervos eſſe. Sed id jure veteri verum non fuiſſe, teſtatur Lex Longobard. *lib. 2. tit. 32. §. 1.* qua ſervo aut mancipium Bauren-Knecht/ aut caballum, aut aliam quamcunque rem vendere, inſcio domino, prohibitum, niſi ruina Caſæ id ſuadeat *eod. §. 2.* Lex Ripuariorum *tit. 24. §. 4.* omnem contractum cum ſervo celebratum nullum pronunciat: Lex Salica inſuper contrahentes cum ſervo punit. Lex Burgundionum *tit. 21. §. 1.* nominatim, ne quis commodet quidquam ſervo cavet, de qua re latius Potgieſſ. *lib. 2. cap. 9. per tot.* Sed eſto fructus, prædii vendendi facultatem habeat. Quæro! numne ex his fructibus, quidquid vult, ſibi comparare ſine manumiſſione poteſt. Numne mercatu-

Digitized by Google

caturam exercere, aut opificium? numne emere ſibi officium &c. poteſt? Namque diſponere de re ſua hoc ſignificat, poſſe illud collocare, quo loco lubeat. Atque illud eum poſſe, nemo unquam dicere auſus eſt. Ergo, ſi id ſibi acquirere appellas, ex modico agello parvulos comparare nummulos, quibus ſitim ac famem pellere, corpus nudum tegere, egentem familiam ſuſtentare poſſis, nullus tecum diſputabo. Namque hoc modo, libertas ruſticorum miſerior & durior erit ſervitute Romanorum. Sed ais, matrimonia contrahunt, & teſtamenta faciunt. Reſpond. Connubia apud nos ad jura Chriſtianiſmi pertinent: quibus adeo excludi nequeunt. Neque deinde ea libere pro lubitu inire poſſunt, nec ſequitur ea effectus civilis, qui eſt patria poteſtas, cum liberi ſint in Dominio Domini. *Lex Alamann.* apud Vad. *de Colleg. & Monaſter. German. Non licebit ſervo aliam ſibi matrimonio copulare, niſi æqualem h. e. ſervam; nec quamlibet, ſed eam ſolam, quæ ejusdem dominii eſſent,* (ne deinde ſuper liberos inter diverſos dominos lis oriatur) *niſi aliud conventione paciſcentium dominorum licuiſſet,* inter quos de dominio naſcituræ prolis conveniebat. Teſtamenta eos facere poſſe nego, quod ſi de fructibus faciant, non evertit naturam ſervitutis. Cum ſupra jam ad hanc objectionem reſponderimus. Et quid ſi dicam JCtos ſuis opinionibus contra priſcum morem ruſticis quædam conciliaſſe, quæ antiquitus non habuerunt, atque inter ea teſtamenti factionem? Claudam verbis Eberhardi de Weihe apud Potgieſſ. *lib. 1. cap. 3. §. 31. Ruſticorum hodie in Germania non melior fortaſſis, etiam deterior, quam olim mancipiorum apud Romanos ſors eſt.* Nec te offendat vox propriorum hominum, eigen Leute/ Gepöver/ (gallice pauvre) i. e. Gepauren/ Pauren/ (uti dicimus Gevettere) arme Leute pauvres gens, aut ut vocantur in *Legib. Henrici I. Regis Angliæ viles & inopes perſonæ.* Præterea enim, quod hæ voces apud medii demum ævi Scriptores uſurpari cœperint, antiquæ leges, chartæ & hiſtoriæ uno ore ſemper voce ſervorum utantur, reſpondeo ad hæc, verbis *Illuſtr. Dn. Thomaſii apud eundum Potgieſ. all. loc. §. 31. Adhuc hodie in Cathedris juridicis quæritur: an homines proprii,* die Leibeigen in Teutſchland *ſint ſervi? quod idem eſt ac ſi quærerem: An enſis* ein Degen *ſit gladius, cum æq. ſervus, homo proprius* und ein Leibeigener *in ſignificatu juris gentium* (& Germanici conſ. Potgieſ. *all. loc. §. 28. ubi vid.* vim voc. Leibeigen: Er iſt mein/ ich mag ihn ſieden oder braten) *ſint ſynonyma.* E contrario nunquam ego vidi ſolidi quidquam reſponſum eſſe ad rationes eorum, qui

ruſti-

ruſticos conditione ſervorum uti, aſſeruerunt. Eos corpore, ac operis corporis in dominio ac proprietate (nam hoc innuit vox proprius homo) Domini eſſe: nec ipſum alibi transferre corpus aut operas ſuas ſine conſenſu Domini poſſe: Dominum vero eum vendere & oppignorare poſſe. Reſpondent Doctores, corpus ruſtici annexum eſſe prædio, atque adeo non ipſum corpus, quod liberum eſt, & æſtimatione caret, in dominio eſſe, vendi & oppignorare, ſed ambulare cum re, ac per conſequens ſaltem eo jure cenſeri, quod glebæ adſcriptum ſit. Quæ reſponſio eadem eſt, ac ſi dicerem vendito gladio, ſaltem vaginam vendi non gladium, hanc ſaltem per conſequens. Quis enim unquam ſervum Germanicum ſibi concipere ſine prædio potuit? ad quod utilis tibi erit ruſticus ſine prædio, qui nihil præter agriculturam intelligit? unde & à *Tacito* Colonus ſenſu romano vocatur. Ergo ſi ſervum coquum jure romano emerem, artem coquendi emebam, non ſervum? Pariter ſi ſervum agricolam, qui eſt ruſticus vendam, jure Germanico agriculturam & prædium, ſine quo ager coli nequit vendo non corpus ſervi. Quis abſurdius aliquid unquam dixit? At ais, ſervos Romanos jure pecudum æſtimatos, noſtros liberos eſſe, adeoque æſtimationem non recipere. Sed quis eos quæſo liberos fecit? Nemo certe alius, quam cerebrum Doctorum.

## §. LVI.

Satus libertorum apud Germanos.

Pauca adhuc de libertis Germanicis adnoto. Eos Tacitus *all. loc. cap. 25.* ait, parum ſupra ſervos eſſe. Raro eis momentum aliquod in domo, nunquam in civitate, i. e. ut rem Germanice explicem: Ein Laſſe bleibet ein Bauer / und wird niemahlen ein Edelmann: wenns ſehr hoch kommt / ſo ſich doch ſelten zuträgt / wird er Hoffmeiſter oder Meyer bey den Edelmann. Ad quid ergo profuit manumiſſio? At id ſine dubio, ut ad illud non teneatur, ad quod tenentur ſervi: i. e. non præſtant amplius ratione prædii operas, aut cum aratro, aut manuarias. Sed ideo non fiunt ingenui, non nanſciſcuntur jus civitatis, i. e. non veniunt ad concilium nec deliberant de ſalute publica, non fiunt Comites aut Duces, non accipiunt jus armorum, ſie werden keine Ritter (namque olim Frey / Edelmann / Ritter fuerunt ſynonyma, uti & voce Ritter tam eques, quam miles comprehenſus fuit, Illuſtr. Thomaſ. *Diſput. de hominib. propr. §. 98.*) in qua re jus civitatis germanicæ ſemper valuit, non in jure contractum Connubiorum & teſtamentorum uti apud Romanos: ſed arando prædiolum vitam ægre tolerant, quod ingenui non

Non facti ingenui.

fa-

Digitized by Google

faciebant, ſed ad agros colendos operis ruſticorum utebantur, Tacit. *de morib. German. cap. 11. 12. 13.* & quoniam ab operis ruſticorum liberati vocantur Frey-Bauren/ earumque prædia Frey-Güter/ Laß-Güter/ è quibus ſervitia der Frohn-Dienſte non præſtantur. Fit autem plerumque, ut Dominus in teſtimonium Dominii, daß das Freylaß Gut dennoch ſein ſey und bleibe/ iis prædiis cenſum imponat, unde Zinß-Güter/ qui ſi hereditarius eſt, dicitur Erbzinß-Gut/ aut canonem, inde Pacht-Güter/ die Jährl. Pacht an Korn/ Hüner/ ꝛc. abgeben. Canon antiquior eſt cenſu. Cenſus enim plerumque in pecunia conſiſtit, Canon in frumento aut alio onere. Atque pecunia apud Germanos teſte Tacito recentior eſt. De Zinß-Güter hæc habet *Gloſſ. ſpec. Saxon. art. 55.* Ein Laſſe iſt/ der auffm Zinß-Guth ſitzet/ den man davon weiſen/ oder es ihm um einen gewiſſen Zinß laſſen kan und mag. Deinde libertum non ingenuum factum, nec prædium proprium ſibi feciſſe, teſtimonio eſt *art. 44. lib. 3. Gloſſ. ſpec. Saxon.* Ein Laſſe iſt ledig/ ſo lange er lebet/ (non præſtat carroperas aut manoperas, ut ſupra) wenn er aber verſtirbet/ ſo belehnet der Herr ſeine Kinder auffs neue damit (i. e. prædium Laſſiticum non fit proprium Laſſi, cum non fuerit, cum adhuc ruſticus eſſet, nec aliam libertatem manumiſſione accepit, quam libertatem ab operis, itaque liberi ſuccedere in prædium non poſſunt, ſed opus eſt, ut iterum repetant à Domino) und theilet mit ihnen/ vide hic effectum juris mortuarii, quod & viget in bonis liberti, nam capit, ut reliqua verba probant, dimidiam partem fructuum, ſeu exſtantium, ſeu jam tum perceptorum. Unde & hoc intelligi poteſt, quid ſit jure Germanico Standes-Perſohn & francicum, gens de Condition, de qualité. Nam cum jus ſtatus & qualitatis jure Germanico pertineat ad jus civitatis; Laſſi vero jus civitatis non conſequuti ſint, ſed hoc ſolum ingenui nobiles uſurpaverint, ſequitur Laſſos ſtatum peculiarem in civitate non feciſſe, ſed manſiſſe Frey-Bauren. Iterum & hoc patet, cur ruſticis manumiſſis, qui in urbes ſeceſſerunt, non jus alodii, quod priſci ingenui habuerunt, datum ſit, ſed primum cenſus impoſitus eorum agris Schoß/ Zinß/ Schatzung/ qui & agris libertorum impoſitus fuit, Potgieſſ. *lib. 2. cap. 4. §. 2.* & plerumque decima iis locis, ubi multa fuerunt monaſteria aut Epiſcopatus, nec iis integrum fuit ſine conſenſu Magiſtratus ſeu Nobilium ohne Aufflaſſen/ domum ac agros ihr Erbe in alium transmittere. Namque cum manumiſſi à Dominis non in prædio Dominorum remanerent, ſed domicilium mutarent, non potuit,

Sed ſaltem Frey-Bauren.

Patroni jus in bona liberti.

Quid ſit Standes-Perſohnen gens de qualité.

Cur burgenſes non habuerint olim jus allodii.



Digitized by Google

tuit Dominus Jus Cenſus & inveſtiendi libertorum liberos uſurpare, uti ſupra diximus, inde quæ exſtructæ ſunt domus, quique eis dati ſunt à Cæſare agri, qui domibus annexi ſunt Haußländer/ eos ad liberos legitimo ſucceſſionis ordine transduxerunt. Inde eſt, quod vocetur Erbe. Sed quum tamen iſta dominia non fierent prædia nobilia ſeu ingenuorum, es wurden keine Ritter Güther/ quorum natura erat, ut ingenuus propriis impenſis militiam ex iis, mit ſo viel gleſen/ exerceret (tum quod militiam ſemper ex prædiis & ex eorum numero, cum adhuc eſſent alodia, præſtitam fuiſſe doceant Ducatus, Margrafiatus cum formula Ducatus adhuc hodie ſubſiſtentes, nach dem Anſchlag zum Römer-Zug/ vid. Schilt. *tom. 2. Jur. publ.* zum Hußiten-Krieg/ Coccej. *Jur. publ. c. 1. per tot.* & Wencker. *lib. de Pfalburg & Usburger*, *inque iis adnexa diſſert.* von gleſen/ tum etiam, quod homines libertinæ conditionis juris armorum incapaces eſſent können keine Ritter-Dienſte nicht thun/ Tacit. *de morib. German. cap. 14.* quod pariter demonſtrat uſus adhuc, qui ſupereſt, quod manumittere eo modo, ut quis plenam ingenuitatem nanciſcatur, ſignificet Wehrhafft machen/ & equitem facere zum Ritter ſchlagen/ adde, quæ ſupra diximus de ſynonymis vocum miles, eques, nobilis, ingenuus Conf. Dn. Coccej. *Jur. publ. cap. 31. n. 15. & feudal.* Illuſtr. Dn. Thomaſ. *Diſſert. de hominibus propriis §. 98.*) atque tamen poſſeſſores libertinæ conditionis homines eſſent, impoſita iis fuit opera revera ſervilis angariarum, de qua re ſupra, fodri & manſionaticæ, ſed non priſcis ſuis dominis, ſed Cæſari præſtanda: inſuper agris ipſorum loco Canonis decima (quæ etiam erat præſtatio libertorum, Korn-Pachte/ Korn-Zehnde Potgieſſ. *aa. loc. §. 2. lib. 2. cap. 4.*) ſed iterum non antiquis dominis, à quibus non acceperant agros, ſed à Cæſare, nec Cæſari, quoniam decima non opus habebat, niſi eo tempore, quo in urbe erat, quo fodri ſervitutem Mann- und Roß-Portion præſtiterunt *vid. §. LI.* ſed Clericis exhibenda *Capit. lib. 6. cap. 228. Chron. Spiren. lib. 2. cap. 19.* und vermöge der Rechten ſchuldig geweſen/ von ihrer Kauffmanſchafft den Zehenden der Geiſtlichkeit zu leiſten/ nicht weniger als die/ ſo mit dem Feld-Bau umgegangen. Deniq; licet domum & agros, ut antea commemoravimus, eam ob cauſam, quod agros non à Domino, ſed Cæſare accepiſſent, ut feudum petere, wie ein Laß-Guth/ non tenerentur, ſed ſine hoc nexu in liberos transmittere poſſent, non tamen potuerunt partem des Erbe alienare: Er kan nicht ein Stück von

ſein

ſein Hauß/ Ländern/ verkauffen / nec totum alienare aliter potuerunt quam cum conſenſu ingenuorum der Schoppenbahren Magiſtratuum in deren Hände ſie ihr Erbe auffgelaſſen / und die es an den Käuffer wieder verlichen/ uti teſtantur antiquæ chartæ ac formulæ in den alten Rath-häußl. Protocollen, quæ non ſunt ad manus. Ex his autem fluit differentia Dominiorum Germanicorum, Alodii, feudi, der Erbe- Laß- und Zinß-Güther. Alodium & feudum non differunt natura ſeu Origine, ſed adjectitia qualitate. Utrumq; eſt dominium ingenuorum: Utrumque habet connexa, quæ vocamus, Regalia, Ober- und Nieder-Jagt/ Ober- und Nieder-Gericht/ Dienſte/ Renten/ Gülten/ Zinſen / Fiſchereyen/ aquarum curſus & decurſus, ut eſt, in antiquis chartis. De utroque præſtatur militia. Adjectitia qualitate differunt, quod feudum habeat adjectam peculiarem fidem Vaſallagii, inveſtitura adquiratur, invito inveſtiente & agnatis ſimul inveſtitis non poſſit alienari, quod contrarium eſt in Alodio. Alodium & Erbe differunt (1) quod Alodium ſit dominium ingenuorum, Erbe dominium manumiſſorum in urbe, (2) de alodio præſtetur militia, de Erbio (liceat ita appellare, quoniam vox latina non occurrit) cenſus, canon, angaria & perangaria, fodrum &c. (3) Alodium pendeat à libera diſpoſitione Poſſeſſoris, non erbium, quod permittente demum Senatu alienari poteſt, (4) Alodium habeat annexa regalia, quæ ſupra nominavimus, Erbium non habeat conjuncta, imo Burgenſis non capax ſit regaliorum, quæ in urbibus Germanicis exercent die Schoppenbahren-Freyen. Der Rath hat die Jagten/ Gerichte ꝛc. Erbe & Laß-Guth differunt, quod Erbe poſſideat Civis, ſeu Burgenſis, Laß-Guth ruſticus, Erbe ſit ordinarie hereditarium, Laß-Guth non æque. Laß-Guth patronum adgnoſcat Nobilem, Erbe non niſi Cæſarem, aut Principem. Conveniunt, quod Poſſeſſores ſint manumiſſi: Utrumque non poſſit libere alienari, de utroque præſtentur ſervitia, carroperæ, ut ſunt perangariæ, cenſus, canon &c. in utroque vigeat jus mortuarium, uti ſupra vidimus.

Differentia alodii & feudi.

Alodii & Erbe.

Erbe nñ Laß-Guth.

## §. LVII.

Conceſſo uno abſurdo ſequuntur plura, ajunt Dialectici. Itaque cum JCti ſervos germanicos liberos homines fecerint, quibus eſſet communio juris cum nobilibus, eorum etiam actiones ingenuis jure non

Doctores coercitionem in ſervos Ger-



Digitized by Google

manicos vocarunt JCtionem. non diſciplinæ, ſed magiſtratus & JCtionis ſubeſſe exiſtimarunt. Quod cum natura rei pugnat. Namque, cum nunc ſupra ſatis puto demonſtraverimus, ſervos gemanicos eſſe in dominio Dominorum, eos vindicari, alienari, oppignorari poſſe, atque hoc ipſi JCti conceſſerint, tum etiam, cum ſervos proprios homines appellent, eo ipſo confiteantur, hominem proprium in proprietate eſſe, ſequi videtur, ſervos Dominis ſubjectos eſſe jure dominii, non vero JCtionis. Qui autem dominium in aliquem habet, diſciplinam exercet, ſi ſe nolit ad voluntatem commodumque meum componere, non JCtionem. Quid enim eſt JCtio, niſi juris dicendi poteſtas? Lauterb. *comp. ff. de JCtione init.* quodnam autem jus dicendum inter homines, inter quos nulla juris communio, qui neque libertatem corporis neque bonorum habent? Ergo nec de rebus ad ſe pertinentibus jus dicet Nobilis. Sed caſtigabit reluctantem, aut mulcta, aut carcere, aut verberibus. Quid enim abſurdius, quam contumaciam ſervi ſolemni judicio apud acta & Notarium accuſari à domino? Neque uſus erit jurisdictionis in controverſiis ruſticorum cum ingenuis. Namque pariter hic Dominus ſervum non vi jurisdictionis, ſed poteſtatis dominicæ ac imperii coget, ſi quid damnum dederit, officio ſuo ſatisfacere, aut ſi non poteſt, caſtigabitur, & damnum datum, à Domino reſtituendum. Atque in hoc magis naturale æquum ſequutæ LL. Germanicæ quam Romanæ, quod noxæ deditione Dominum non liberaverint, ſed dominum ſine diſcrimine coegerint ad damni reſtitutionem: cum nihil tam ſit naturale, quam in dubio eum oportere damnum omne ferre, in quem ex re noxali jure dominii omne commodum redundavit. Ita Lege Longobard. *lib. 1. tit. 20. §. 34.* qui ſervus alterius ſylvam accendit, verberatus flagellis, tondetur, ac damnum à Domino reſtituitur. Plura in hanc rem collegit Dn. Potgieſſ. *lib. 2. cap. 4. §. 5. & 6. ex pacto Childeberti & Chlotarii §. 6.* ſi ſervus furatus ſit, ut dominus pro eo ſolvat ac ſervus verberibus CCC. tundatur: ex *Lege Salica tit. 13. §. 1.* ut ſervus furtum committens, pro magnitudine furti, aut verberetur, aut caſtigetur, Dominus vero pro eo ſolvat. Ex Lege Friſiorum *tit. 3.* ut ſervus fur purgetur à crimine, ſacramento Domini, aut ut Dominus ſolvat pro eo, ipſe ſervus verberibus, prout viſum fuerit, caſtigetur: niſi eum quatuor ſolidis Dominus redimere volet. Hæc itaque num ad JCtionem an vero ad diſciplinam pertinent? puto ad diſciplinam: niſi omnem rationis

Jurisdictio non eſt aliud quam poteſtas jus dicendi.

Nulla eſt juris communio inter dominū & ſervum: ſi ſibi aliquid debeat.

Non jus dicet ſi ſervus obligatus ſit ingenuo ex delicto.

Noxæ deditio Germanis incognita.

nis uſum plane abrogare velimus. Sed quid ſi debeat ingenuo ex contractu. Sed ſupra diximus antiquitus hunc caſum obvenire non potuiſſe, cum omnis inter ingenuos & ſervos juris communio omnisque contractuum religio, ſublata ſit. Unde nec magis controverſia inter ruſticos invicem paciſcentes contingere potuit, cum omni ſervo contrahere aut alienare, aut commodato dare, aut ſumere ſine conſenſu Domini interdictum ſit. Quod & hodie adhuc obtinet, ut ſervus nihil ex fundo vendere poſſit ſine conſenſu Domini; imo non omnes fructus aut partus pecorum, cum Dominis integrum ſit modum hic ſtatuere, ne ſervus ad faciendas agreſtes operas inutilis reddatur. Sed quid ſi tamen de fructibus quibusdam venditis oriatur lis: nec dum quidem jus dicetur. Namque, cum ſupra latius demonſtraverimus, omnia prædia ſervientia ad Dominum ſpectare, unde illa reſtrictio vendendi orta: Hinc ſi dominus quædam vendere ſervo permiſit, ſervus tenetur tradere, quod vendidit, atque ad traditionem à Domino cogendus eſt, non quod ipſe contractus adeoque juris ex contractu orti auctor ſit, (cum nihil ex prædio ad illum jure dominii ſpectet, nec adeo uſus fructus eo jure, quo ſæpe libero homini competit, quia nec ſervus aliam, quam ex arbitrio domini reſtrictam uſufruendi poteſtatem habet) ſed quod ex juſſu domini contraxiſſe videtur, adeoque actio detur potius in Dominum, quam in ſervum: In ſervum, nomine, quia ille tradere cogitur, in Dominum re, quia quod ruſticus tradit, non ſuo jure vendidit, ſed juſſu domini, nec ex ſuo, ſed Domini prædio ſolvit. Hoc itaque caſu nullum jus dicetur, qua alias Nobilis diceret jus de ipſo, quod poſſibile non eſt, ſed nihil ineſt huic judicio intuitu ſervi, quam coactio aut ſecuritas, ipſa cognitio, ipſe contractus ad perſonam Nobilis attinet. Ais, ita nobilis cognoſcet in propria cauſa? Reſp. ſi inter eosdem ruſticos lis ſit, nihil amplius facit, quam ut diſtribuat inter eos, quæ ſua ſunt. Si inter ſervum ſuum & extraneum, aut plane ingenuum, tum alium Judicem aditum eſſe cenſeo. Idque explicant LL. ſupra in h. §. allegatæ, præcipuè *Lex Friſionum*, ibi purgare Dominus ſervum & pro eo ſolvere tenetur, ſed apud quem? Non ſane apud ſe ipſum, ſed utique communem judicem: quis coget? ſuperior. Quod vero hoc hodie non amplius obſervetur, ſed apud Dominum hac de re agatur, ac is tam in delictis, quam cauſis forenſibus, omnes proceſſus ambages applicet, ex confuſione JCtionis & diſciplinæ turpiſſima, quam pere-

Non jus dicit ſi ſervus ingenuo debeat ex contractu.

Ne ſi debeat alteri ſervo.

Utrumque illuſtratur.

Cetera diſciplinæ genera.

peregrina ſignificatione patrimonialem appellant, ortum eſt, nec ita fieri debebat. Reliqua coercitionis genera vid. *ap. eund. Potgieſſ. all. cap. 4.* ubi notandum, quando delictum ſervi pecunia taxatur, intelligi eo, ſi dominus pro eo ſolvere velit, uti *alleg. ſupr. LL. Longobard. & Friſionum* perſpicue declarant. Quam mulctam ſi ſolvere nolit Dominus, verberandus fuit ſervus. Interdum pro delicti gravitate reſtituendum damnum & verbera quoque infligenda fuerunt ſervo, ut in furto majori. Interdum ſi Dominus redimere ſervum noluit, occidere eum læſo licitum fuit, ut *Leg. Longobard. lib. 1. tit. 26. §. 40. L. ſalica tit. 42. §. 1.* Frequentia fuerunt verbera, ultimum ſupplicium rarum, quod, ut ſæpius monuimus, illud diſciplinam egrediatur; etſi poteſtate dominica comprehendatur. Itaque ſervus ſepulcrorum violator tradendus fuit à Domino ad mortem *L. Longob. Lib. 1. tit. 37. §. 5.* atque mulctam pro eo Dominum ſolvere oportuit, in pœnam omiſſæ diſciplinæ, qua retrahi à tali facinore ſervum æquum erat. A Domino ipſo ſervum occidi ob diſciplinam rarum fuit, teſte Tacit. *cap. 29.* imo dominos ob ſervos occiſos mulctatos eſſe refert Potgieſſ. *lib. 2. c. 14.*

## §. LVIII.

Reipubl. imago Familia. Cenſura in Rep. vocatur Conſilium. Differentia Conſilii & Imperii.

Reſpublica magna eſt familia, inquit, Ariſtotel. *3. polit. 6.* Atque uti patri in familiam competit jus diſciplinæ, ita & ſummo Magiſtratui in cives ac ſubditos, quod vocamus Conſilium. Summa enim poteſtas conſtat Conſilio & imperio. Illi ſubſunt, ut cives, huic parent ut ſervi δȣ̃λοι πολιτικοί. Conſilium enim pertinet ad admonitiones, exhortationes, &, ſi nolint ei aurem præbere, coercitionem. Imperium ad legem affirmativam aut negativam, & ſi violetur ad pœnam. Conf. Illuſtr. Dn. Thomaſ. *Diſput. de homin. propr. late & §. 47.* Ad conſilium ſpectant actiones honeſtæ & decoræ, ad imperium injuſtæ, *vid. §. 1. huj. Diſſert.* Atque omnes pariter actiones ſummo Magiſtratui ſubeſſe, quis eſt poſt tot Juris Naturalis, publici & politici ſcriptores, qui dubitare poſſit. Ariſtoteles ὁ θαυμάσιος *lib. 1. Pol. 2.* virtutum qnoque in regenda civitate habendam rationem eſſe vult, quæ ſcilicet Civitatem continerent: & *lib. 2. Polit. 5.* ait *leges non tantum poſſeſſiones* (ſeu meum & tuum, cujus fruendi cauſa leges primum inventæ) *ſed & cupiditates* (quæ honeſtum & decorum violant) *civium ad me-*

Principi ſubſunt quoque actiones honeſtæ & decoræ.

*dio-*

Digitized by Google

*diocritatem redigere oportere.* Vellej. autem Patercul. *Lib. 2. hiſtor. 89.* tranquillitatem publicam non cuſtodiri probe, nec legibus ſuam conſtare ſanctitatem, *niſi cultus agris & ſacris honos conſtet*, quibus temperantiam & honeſtatem Legislatori curæ eſſe oportere innuit. Atque hæc ſunt ea ſepimenta, quibus ſecuritas publica communitur, ne, ſi laſcivia & lubido ad turpia facta non coercetur, ad eam turbandam detur civibus acceſſus. Namque, ut ait Cic. *lib. 1. de Natur. Deor. pietate ſublata, fides etiam & ſocietas humani generis, & una, excellentiſſima virtus, juſtitia tollitur.* Unde & Juſtinus Martyr divina etiam jura, quæ virtutem præcipiunt, Regi cuſtodienda eſſe, atque id βασιλικὸν τοῦτο ἔργον eſſe dixit, uti obſervatum à Grotio *L. 2. de J. B. & P. cap. 20. §. 44.* Quare cum honeſtas & decorum maxime ſocietatem contineant, atq; ſummus Magiſtratus tuendæ pacis ac tranquillitatis, ejusque promovendi gratia conſtitutus ſit, neceſſe quoque eſt, ut honeſtum promoveat ac decorum, aut minimum *ea obſtacula tollat*, quæ propagationem honeſti atque decori impediunt, in qua re maximum ejus officium conſiſtit, atque à munere Philoſophi, qui homines ad honeſtatem inſtruit, diſtinguitur. Non permittit brevitas, longa oratione proſequi, quam latum circa illa præcepta Principis ſit Officium. Quoniam enim jam diximus, eum præcipue eo incumbere, ut impedimenta, quibus honeſtatis diſciplina conturbatur, tollat, quilibet videt, ea impedimenta infinita eſſe, quis ergo hoc definiet? Quidquid ergo inhumanum, quid crudele, quid agreſte populum invadit, unde Reip. detrimentum accidere poſſit, id prohibere Princeps recte poteſt. De miſericordiæ ara ſupra §. 2. in fin. egimus, de ſervo libero eſſe juſſo, quem Dominus inhumanus ægrotantem domo ejecerat, habuimus §. 23. Ex his legibus negativis id ſequitur, ex actionibus licet inhumanis, tamen impunitis evenire actiones injuſtas & pœnæ ſubditas. Interdum accidit, ut propter decorum publicum aut commodum civitatis actiones honeſtæ jubeantur: ut eſt hoſpites benevole recipere, & id genus alia, qua ratione fit, ut actiones hactenus honeſtæ & decoræ, fiant debitæ & juſtæ. Iterum contingit, ut ſalus Reipubl. ac neceſſitas ſuadeat, actiones alias honeſtas atque laudabiles prohiberi, uti eſt ægrotum recipere tempore peſtis, mendicis dare eleemoſynam, quo modo actio alias laudabilis evadit injuſta & pœnalis. Frequentius verſatur in Republ. cenſura circa circumſcriptionem libertatis naturalis in vita civili, dominiiq;

Conſilium eſt ſepimentum juſtitiæ.

Debet obſtacula decori ac honeſti tollere.

Differentia Cenſoris & Philoſophi.

Leges politicæ ex honeſtis faciunt actiones juſtas, ex turpibus injuſtas.

Ex honeſtis injuſtas & prohibitas.

niique poteſtatis in relatione ad alios cives. Unde cum jure naturæ tantum valeat, quod meum eſt, quantum id valere ex meo arbitrio volo: Princeps eam poteſtatem recte circumſcribit, pretium rebus imponit, fœnerandi licentiam cohibet, omnes eandem artem exercere prohibet: ex qua conſideratione reſultant actiones prohibitæ & permiſſæ. *Ut tantum permiſſum civi ex libertate naturali credendum ſit, quantum ſummus Magiſtratus non ademit.*

Ex licitis turpes & pœnales.

## §. LIX.

Fons flagitiorum ad diſciplinam pertinentium.

Generatim huc pertinent omnes Reip. morbi ex paſſionibus hominum prædominantibus ambitione, voluptate & avaritia pullulantes, quibus Princeps mederi cauta medicina debet, quæ pars prudentiæ legislatoria, uti omnium graviſſima & maximi ponderis eſt, ita omnium eſt difficillima, & in cujus conſideratione & exercitio pauci modum ſervarunt: quæ contemplatio ſpectat ad Politicam. Apud Romanos hæc pars legum ſpectavit ad Cenſores morum, quorum hiſtoriam non repeto, quia eam jam contextam omnem ſummo cum judicio video ab Illuſtr. Dn. Thomaſ. *Diſput. de Cenſur. mor.* ubi & de gravitate muneris, ſolita cum prudentia diſſerit. Apud Germanos eam Legislatoris partem cum Majeſtate conjunctam eſſe creditum eſt, comprehenditurque ſub nomine Politiæ Policey-Sachen. Quæ vero nomine Politiæ comprehenduntur? Ea ſine dubio, quæ ſec. §. anteced. ad decorum & honeſtum pertinent. Quæ cum latiſſima ſint, juſta eſt *Auct. Proceſſ. informativ. pag. 71.* apud Dn. Caſpar. de Lengerke in *Diſput. de Cauſſ. ad Cameram non appellab. Halæ ſub præſid. Excellent. Dn. Joh. Sam. Stryk. Anno 1705. habita cap. 3. §. 13.* ſententia, cauſas politicas circumſcribi neque poſſe, neque oportere peculiaribus ſtrictisque limitibus, ſed eo *omnia pertinere, quæ ad regimen urbis, ſeu Reipubl. Imperium, militariaq; munera, moderationem tuitionemq; ſtatus, rerum omnium neceſſariam abundantiam procurandam, probibendasq; exportationes, & monopolia laxanda aut reſtringenda ſpectare aut referri aliquo modo poſſunt.* vid. late *laudat. Diſp.* Dn. de Lengercke, *qui §. ſequ.* ex Receſſ. Imperii omne hoc argumentum probe diſcuſſit. Generatim luxuria prohibita per *Receſſ. Imp. de Anno 1515.* §. Ferner als Uns allerhand 61. ibi daneben uns auch der übermäſſigen Koſtbarkeit an Kleydung und Zierung / Zutrincks / Hochzeiten: Opificum inſolentes conſuetudines coercitæ per *Re-*

Olim apud Romanos diſciplina apud Cenſores conſtitit.

Apud nos nomine Politiæ comprehenditur.

Cauſæ Politicæ quæ.

Generatim luxuria.

Opificum

*Receſſ. 1654.* §. Wie nun ſolches 106. gute Policey-Zunfft-Handwercks- und andere Ordnung/ confer Rhet. *Inſt. Jur. Publ. lib. 2. tit. 5. §. 4.* atque collegia der Leinweber/ Barbierer/ Schäffer/ Zöllner/ Pfeiffern/ Trompeter und Bader pro honeſtis declarata, quæ admittere Opifices nolebant: Fœneratoribus & monopoliis fines poſiti in *Receſſ. de Anno 1500.* von wucherlichen Contracten, monopolien und Gewercken/ proxenetis in *Receſſ. de Anno 1512.* von Geſellſchafft und Vorkauffen/ *& Capit. Leopoldi art. 22.* menſuris & ponderibus in *Reformation Politica de Anno 1548. tit.* von etlichen Articuln darinnen Obrigkeiten Ordnung fürzunehmen ꝛc. quarum omnium rerum Ordnung von Kauff und Verkauff/ ſteigern und Ringerung der Maaß und Gewicht/ Anſchlag des Wehrts circa conſumtibilia, Kleider-Pracht/ Anordnung gewiſſer geſchloſſenen Zünfften/ Abſchaffung derſelben/ und Verſtattung freyen ungeſchloſſenen Handels/ Ordnungen und Innungen der Handwercker/ Außſchlieſſung gewiſſer Perſohnen/ Annehm- und Abſchaffung derſelben/ Anſtellung gewiſſer monopolien, curam, excluſa imperii cognitione, ex ſuperioritatis territorialis ratione Statibus *cum Auct. Proceſſ. inform.* recte vindicat Dn. de Lengercke *all. Diſſ. cap. 3. §. 13. & 16.* atque addit, habere poteſtatem die Obrigkeit jedes Orths dergleichen Statuta nach Gelegenheit der Läufften und Zeiten zu ändern und zu wiederruffen.

insolentes conſuetudines.

Fœneratores & monopolia.

Proxenetæ, Menſuræ ac pondera.

Quarum rerum inſpectio Statibus Imperii privative competit.

## §. LX.

Diximus has actiones naturaliter aut licitas, aut permiſſas, injuſtas fieri, quam primum lex eas prohibuit. Itaque tum non referendæ amplius ad diſciplinam erunt, etſi ex jure Principis diſciplinari originem ducant, ſed ad judicium, coactionem, & pœnam trahuntur. Manſit tamen in quibusdam cauſis propria natura diſciplinæ. Atque primum Princeps adhuc in propriam familiam jus diſciplinæ, non jurisdictionis exercet, cenſuram morum, non legislatoriam poteſtatem. Illam enim componit, pariter ac Dominus ſervos ſuos, ad voluntatem & commodum ſuum, non tantum ad juſtitiæ regulam, ſed tardos quoque reprehendit atque incitat, moroſos caſtigat, promtos laudat. Neque faſtidiant Aulici nomen ſervi, quod ipſis pariter ac Papis, ſervis Chriſti, ſummam comparat dignitatem. Uti enim ſervus Camerarius divitis domini, fortunatior dici poteſt paupere libero homine, qui ex labore victum quærere tenetur, ita ſervi eorum, qui omnibus imperant, ſimul cum Domino imperant, per quorum nimirum gratiam acceſſus ad Dominuum conciliatur. Atque eo honoratior erit atque ſplen-

Princeps diſciplinam exercet in propriam domū über den Hoff.



Digitized by Google

didior hæc ſervitus, quando apparet, uti Illuſtr. Dn. Thomaſ. *in Diſput. de hominibus propr.* demonſtravit, omnes ceteros cives ac ſubditos ſervire ſervitutem politicam, non multum diverſam à dominica, niſi quod ſervi πολιτικοὶ non ſint in una domo, ex qua ſingulæ eorum actiones inſpici queant, ſi hoc fieri poſſet, par jugum ſubituri. Itaque etſi re vera, qui corpori Principis ſemper adhærent favorem oculorum, atque quamlibet auram captant, magis duriorem ſerviant ſervitutem, quam iſti, qui procul ab Aula ſuopte ingenio vivunt, re tamen vera precarium imperium exercent, à potentia Principis participant, atq; quendum ſibi in imperio locum vindicaut. Dulcis eſt ea ſervitus, unius gratiam obſequio merere, ac tot millibus legem ponere. Compenſatur faſtidium ſervitutis, ſumma jubendi libertate, qua in ceteris utimur. Loquor de Monarchis: Namque, ubi Principis poteſtas nondum invaluit ad regiam Majeſtatem, Cives ampliorem aulicis libertatem jactare non eſt dubium. Apud Romanos Aulici fuerunt liberti, ac ſervi. Und & pura & caſta latinitate aulicum dicimus famulitium. Primis quoque Francorum Germanorumque temporibus aulici fuere miniſteriales, hi vero ſervi. Hincmar. *in Epiſt. ad Ordin. Regn. pro Inſtituend. nov. Reg.* aulicos dividit in miniſteriales Capitaneos & miniſteriales ſimpliciter ita dictos: ad hos refert oſtiarium, ſacellarium, Diſpenſatorem, Scapeardum, Berſarium, Veltrarium, Beverarium. Hi vocantur ſervi Palatii Regii, ſeu ſervientes in Palatio *lib. 3. cap. 73. Capit. Francor.* Diener/ eigene Diener/ Hoffgeſinde/ Gaſindi ſervi *in Chart. Convent. inter Ludov. II. & Henricum fratres Duces Bavar. Com. Palat. ad Rhen. de Anno 1262. & 1276. apud Schilt. Inſt. Jur. Pub. lib. 1. tit. 7. §. 4.* Domeſtici, Notger. *Leodienſ. Epiſcop. in vita Remacli Epiſc. Traject.* Edel-Knechte/ Dienſt-Mann. Goldaſt. *Not. ad Burchard. Caſ. cap. 8.* Günther. *Poet. Ligurin. Lib. 8.*

*Servus deprenſi convictus crimine furti.*

Ad quem locum notat Spigel. *in Scholiis: quem ſuperius armigerum vocavit, nunc ſervum vocat, ut, qui ea ætate* Edel-Knechte/ *dicebatur, alius eſſe intelligatur à milite, probante id Radevico.* & liberis & ingenuis opponuntur, ut eſt *in Charta Ruthard. Archi-Epiſc. Mogunt. apud Schaten Annal. Paderb. lib. 7. Liberi homines Ludolfus, Godefridus, Miniſteriales Hroudolfus, Hludolfus:* Nobilibus *in Charta Widekindi apud eund. l. 9. Aderant quoq; multi nobiles & miniſteriales.* Dicuntur porro Knechte/ Knapen/ hodie Pages ab antiquo Gallico, quod & germanicum eſt Ambach-

Servitus politica.

Apud Romanos aulici fuernnt liberi.

Apud Francos Miniſteriales ſervi.

bachten/ demta prima particula Amt/Ampſachten/Anpachten/Pachten. Amtleute vero fuiſſe ſervile genus patet ex *Chart. Ruperti Cæſ. data Nordlingæ Civitati Anno 1407.* qua conceditur illis, quoslibet cives adſciſcere licere, utgenommen ſolche Leute/ die nachfolgende Kriege hetden oder eines Herren unverrechnete Amtleute wären vid. Schilt. *J. P. lib. 1. tit. 6. §. 5.* Pacht/ Pfachten/ ſimpliciter obſequium ſervitutem denotat, Ambacht ſervitium ratione officii, vid. *plurimas Chartas* hac de re apud Dn. Datt. *de pace publ. lib. 1. cap. 14. n. 112.* ut adeo les pages ſeu ſervi miniſteriales ultimum nobilium ſervorum genus fuerint, quod plane ſervierint, ſine officii ſplendore; Unde eſt, quod *in laudata Epiſtola Hincmar.* dicantur ſperare officia miniſteriales. Et inde recte concludit B. Dom. Hert. *de hominib. propr. ſect. 4.* olim miniſteriales loco propriorum hominum fuiſſe. Atque adnotat Hincmar. all. loc., quod primarium ſervitutis indicium eſt, miniſteriales ſimpliciter ita dictos ad Comitia non admiſſos eſſe. Præter Apocriſiarium, Comitem Palatii & Camerarium Capitaneos, quidem vocatos, ſed ſaltem ad feſtum Paſchatos, & magis, ut mature ad capienda pro ſalute regni conſilia adſueſcerent, quam ut in ſuffragia irent. Inde eſt quod miniſteriales antequam ad majora officia admitterentur, manumittendi fuerunt, dato eis equo & percuſſo leviter latere, qui mos adhuc hodie in pediſſequis nobilibus mit den Pages uſurpatur, (namque Cubicularii Cammer-Juncker antiquam ſervitutem exuerunt) qui vero dat equum, equitem facit Chevalier, Cavallier/ qui equitem, liberum facit, quia ſupra diximus, nobilem militem, equitem ac ingenuum eſſe συνόνυμα. **Manumittuntur.**

§. LXI.

Hi itaque, quomodo compeſcendi? diximus Principem ſeu ſummum Magiſtratum, ſummum in Republ. eſſe Patremfamilias, eum honeſtas ac decoras actiones dirigere. Quoniam itaque honeſtatem propagare convenit, qua illud ratione melius efficiet, quam probo exemplo? Honeſtum enim eſt, ut dicit Ariſtoteles, quod plurimi ſapientes ſtatuerunt. Ubi Princeps imperat, quidquid ſanctum, quidquid ſapiens, quidquid magnum, quidquid laude dignum eſt, apud Principem eſt. Atque ſi Puſendorf. *de O. H. & C. lib. 1. cap. 1. §. 12.* credimus laude incitandi ſumus ad ſectandam virtutem, ubi autem fons omnis laudis, omnis contumeliæ niſi in Aula? atque ea eſt ratio, quod univerſus orbis opinione Principum regatur. Ut generatim ſaltem loquar: quid heroe ac Semideo dignius quam latrocinari? i. e. extendere fines im- **Primum in Cenſura Aulicavit Princeps ipſe honeſtati ac Decoro ſtudeat.**



Digitized by Google

imperii? Ex eo autem eſt, quod militum vel latronum primus habeatur hodie inter mortales honos. Proximi ſunt, qui Principis, pronum ad ſupprimendos alios animum conſilio muniunt, adjuvant, i. e. litterati. Qui aliis honeſtis artibus ſine aliorum injuria vitam ſuſtinent, vix conſpectu Principis digni cenſentur, vix ingenui habentur. Quæ cum ita ſint: quantum in Principis moribus ſit momentum poſitum, quis non videt? Ipſe itaque Princeps ita vitam componat, in quam tanquam ſpeculum intueri quis poſſit, ſed quid? homines ſumus? & Princeps homo eſt. Minimum itaque non indulgeat vitiis Aulæ, è qua in univerſum populum emanant. Romani Cæſares plerumque ob hoc male audiunt, quod libertis nimium faverint. Flav. Vopiſcus *in Aureliano. Quæritur quidem, quæ res malos Principes faciat? Jam primum nimia licentia, deinde rerum copia, amici præterea improbi, ſatellites deteſtabiles. Eunuchi avariſſimi, aulici vel ſtulti vel deteſtabiles.* De Claudio queritur Sueton. *in Claud. cap. 28. & 29.* de Nerone Tacit. *Annal. lib. 4. c. 23.* & Sueton. *cap. 36.* Hadrianum laudat Aelius Spartian. *cap. 21.* quod aulicæ domus reverentiam cordi habuerit & *cap. 21.* quod libertos ſuos negotiis noluerit præponere, prioribus Principibus vitia libertorum imputans. M. Antoninus Philoſophus aulicorum arrogantiam tulit Jul. Capitol. *cap. 29.* Commodum increpat Ael. Lamprid. *cap. 6.* quod libertos in equeſtrem, patriciorumque ordinem cooptaverit: & idem Heliogabalum *cap. 11.* quod libertos præſides, legatos, conſules, Duces fecerit, omnesque dignitates polluerit ignobilitate hominum perditorum. Alexandrum vero laudat *cap. 19.* quod libertos equeſtri dignitate arcuerit, quem *cap. 41.* etiam laudat, quod aulicum miniſterium contraxerit, memor illius Flor. *lib. 3. cap. 12.* qui ex nimium numeroſa familia inſigne Reipubl. detrimentum oriri poſſe adnotaverat. Licinius apud Aurelium Victor. *Epitom. cap. 41.* ſpadonum & aulicorum vehemens fuit domitior, tineas ſoricesque Palatii eos appellans. Vide *apud eundem* exemplum continentioris Aulæ Theodoſii *P. cap. 48. in fin.* quod totidem verbis exſcripſit uti ſolet Paul. Diac. *Hiſtor. miſcell. L. 13. cap. 18.*

**Romani Cæſares male audiunt, quod libertis faverint.**

## §. LXII.

**Aula Francorum Oeconomia. Regina. Apocriſiarius s. Capellanus.**

Aulam Francorum aliqua ex parte rexiſſe quoque Reginam ſupra §. *27.* retulimus. Secundam à Rege in adminiſtratione Palatii poteſtatem ac curam habuit Apocriſiarius, qui & Archi-Capellanus ſeu Cuſtos Palatii dictus fuit. Apocriſiarii appellatio à Palatio imperii Orientalis ad Francos defluxit, uti auctor eſt Paul. Petavius *in Vit. Nit-*

*bardi*

Digitized by Google

*bardi tom. 2. du Cheſn.* Capellanus vocatur, quod Capellam ſeu Eccleſiaſticum miniſterium regeret, Eckhard. *de Caſib. Monaſt. S. Gall. c. 11.* Capella dicta à Cappa S. Martini, quæ in Capella adſervabatur, quamve Reges Francor, læva ſuperſtitione, vehementis auxilii ſpe ſecum ferebant in prælium, ut eſt apud *Walafrid. Strab.* Cuſtos porro Palatii, quare dicatur explicat Hincmar. *in Epiſtol. ad Ordin. Regni pro Inſtit. juvene Rege cap. 3. 16. 19. & 20.* ubi late perſequitur Apocriſiarii ſeu Archicapellani Cenſoriam poteſtatem, non tantum in ordinem Eccleſtaſticum, ne quid contra canones committerent, ſed etiam miniſteriales ſeculi, ut in eorum *mores & conſcientiam*, ne quid contra officium facerent, deflectentes in rectam viam reduceret. Quin & Controverſias Theologicas terminavit vid. Hincmar. *all. loc.* ibi de omni Eccleſiaſtica religione altercationes: Niſi velis per religionem hic monaſterium intelligere. Speciatim vero curam habuit Capellæ, adeoque ei ſubfuit Cancellarius, qui & à ſecretis vocatur. Forenſia negotia curavit Comes Palatii, ut etiam à minoribus judicibus appellaretur, uti habet Hincmar. *dict. loc. cap. 19. & 21.* Si quid magnum tamen erat, ſeu quod caſus obveniret in legibus ſeu moribus non deciſus, aut cujus deciſio ethnica adhuc ſuperſtitione nitebatur, ad Regem perferebat Hincmar. *all. loc.* Notatu dignum, quod habet *Lib. 3. Capit. Francor. cap. 77. de Epiſcopis, Comitibus & Potentioribus, qui cauſam inter ſe habuerint. Chron. Spirenſ. lib. 2. cap. 9.* ibi. *Neq; ullus Comes Palatii noſtri potentiores cauſas* (quæ ſint illæ, judica ex rubrica: Ducatus ſcilicet, Epiſcopatus & Comitatus) *ſine noſtra juſſione finire præſumat, ſed tantum ad pauperum & minus potentum juſtitias faciendas ſibi ſciat eſſe vacandum.* Diximus ſupra Camerarium ſubfuiſſe Reginæ. Camerarius rexit miniſteriales, qui non erant Capitanei. Imo teſtatur Hincmar. *all. cap. 22.* ceteros miniſteriales à Camerario in ſtudio politico gubernandi regnum inſtructos, & ad conſilium efformatos eſſe, & porro dicit, ceteros quoque miniſteriales Capitaneos, præſertim vero Camerarium familiari convictu & colloquio, ſpe præmiorum, interdum largitione veſtis, auri, argentique ad officium & obſequium Regis compoſuiſſe atque firmaſſe: quod intelligo ita. Quemvis Capitaneum ſuos ſibi peculiariter addictos miniſtros rexiſſe; Camerarium pleroſque. Fuere autem præter Apocriſiarium, Comitem Palatii & Camerarium in Aula Præfectus Regiæ menſæ, Eginhard. *in vit. Caroli M.* Comes Stabuli, Gregor. Turon. *hiſtor. Francor. lib. 9. cap. 38.* Magiſter Pincernarum, *Annal. Fran-*

Unde dicatur Capellanus.

Habuit Cenſuram Aulæ.

Ei ſubfuit Cancellarius. Officium Comitis Palatii.

Ei non ſubſunt Ducatus, Comitatus, Epiſcopatus &c.

Camerarius, ei ſubſunt plerique miniſteriales, Quos inſtruit

Præfectus Regiæ menſæ. Comes Stabuli. Magiſter Pincernarum.



Digitized by Google

*Francor. ad Ann. 781.* Præfectus venationibus Regiis,& Falconarius, Hincmar. *in all. Epiſt.* Præfectus ſylvarum, *Auct. vitæ S. Richardi Presbyter. Tom. 2. du Cheſn.* Procurator ſummus Theſaurorum, Fridegodus S. Ottonis Diaconus in *Vit. S. Audoeni Epiſcop. Rotomag.* præter alios Conſiliarios. Quilibet ſuos habuit miniſtros regendos. Apocriſiarius ut diximus Cancellarium, Magiſtrum Epiſtolarum, ſeu conſcribendorum diplomatum Edictorumque, Hugbaldus Monachus *in vit. S. Rictrudis,* qui ab Anchrado Monacho *in Vit. Ansberti Epiſcop. Rotomag.* vocatur ſcriba conditorque regalium privilegiorum, & gerulus annuli regalis, quo eadem ſignabantur privilegia, *In Vita vero Boniti Arvernor. Epiſcopi* Referendarius: quanquam video Apocriſiario etiam cuſtodiendum annulum Regis datum: Ita Audœnus, Auricularius, Apocriſiarius & ſigilli annulique regii cuſtos fuit Fridegod. Diacon. *in Ej. Vit.* Procurator ſacri ſcrinii Adſo Monaſterii Dervenſis Abbas *in Vit. Bercharii Abb.* Præfecto regiæ menſæ & Magiſtro Pincernarum paruerunt Buticularius, Buteiller, Beverarius, qui potui regio præfectus, forte à boire vel Brauen/ Cellarius Hincmar. *all. ſæpe Epiſt.* Ubi tanquam ſingulare adnoto fœminas etiam interdum munus Pincernæ obiiſſe. Namque Balthidis Regia quidem ex Anglo-Saxonum ſtirpe oriunda virgo, ſed fato dilapſa in Franciam, antequam Clodovei Dagoberti filio nuberet, pincernatum in Erchinoaldi domo geſſiſſe dicitur, ſi *Auct. Vit. S. Balthild. Francor. Regin. apud du Cheſn. tom. 2.* credimus. Comiti Stabuli Seneſchalcus & Buticularius, ac omnis Regis nobilitas poſt *Hincmar. Chron. Spir. lib. 2. cap. 13.* ex quo huic dignitati tantæ opes, ceteri ceteris. Camerario vero plerique Manſionarius, Oſtiarius, Sacellarius, Diſpenſator Scapeardus Garde de robe à Schap/ Schrancke ꝛc.

Præfectus Venation. & Falconarius. Præfectus Sylvarum. Procurator theſaurorum Subordinati Magiſter epiſtolarum. Gerulus annuli regalis. Referendarius. Auricularius. Procurator Sacri ſcrinii. Buticularius. Beverarius. Cellarius. Pincernatus munus fœmineum. Seneſchalcus. Manſionarius &c.

## §. LXIII.

Manſit, translato ad Germanos imperio, eadem Officialium diſtinctio. Hinc Archi-Cancellariatus Moguntinus, quem cum Archi-Epicopatu omnium primo in Germania magna conjunxit Ludovicus I. Schilt. *Inſt. J. Publ. lib. 1. tit. 29. §. 6.* Hinc Pincernatus, Archi-Dapiferatus, Archi-Marſcallatus ſeu Conſtabulatus & Archi Camerariatus, cui Archi-Theſaurariatus acceſſit, qui non ſaltem Officiales ſuos Comites de Limburg, de Walpurg, de Pappenheim, Principem de Hohenzollern & Comitem de Sinzendorff cum titulis Officiorum hereditariorum habent ſibi ſubordinatos, ſed clientelæ ſuæ addictos minores officiales und Hoff-Handwercker *uti Sueder. J. P. ſect. 2. cap. . §. 22. &* Horn.

Archi-Officiales Imperii.

Digitized by Google

Horn. *Jur. P. cap. 32. §. 6.* Peculiaris dignitas eſt Palatini Comitis, qui etſi Archi-Officiorum nomine quoad munus Palatinatus non comprehendatnr, tamen ejus munus non eo minus fuit ſplendidum & magnificum. Fuit enim Judex Imperatoris & Regis Romanorum *A. B. cap. 5. in fin.* Ubi hoc judicium ex antiqua conſuetudine obtinere dicitur, quocum convenit *Jus Saxon. lib. 3. Art. 53. ſeq. & Alemann. cap. 147. fin.* Quod ex conſuetudine ita introductum ait Carolus IV. Cæſar, illud demonſtrat Gulfridi Lotharii Cæſaris Comitis Palatii exemplum, qui ſe Romani Imp. atque adeo Imperatoris quoque Judicem appellavit, *Chron. Caſſin. lib. 4. cap. 105.* Quod intelligo in cauſis civilibus, in quarum deciſione omnium regnorum Principes judices curiæ ſuæ ſeniores admiſerunt, uti Palatinus quoque Comes Curiæ Palatinæ Præſes fuit, pariter ac Archi-Cancellarius Magnæ. Schilt. *Inſt. Jur. Publ. lib. 4. cap. 4. §. 2.* Conf. Eund. *in Exerc. 6. §. 15.* Quod vero Principes ſibi in delictis quoque Cæſaris quondam ſtatuendi ſumſerint poteſtatem, adeo, ut *Henricus IV. in Epiſt. ad Regem Celtar. quæ eſt annexa Auctor Vit. Henric. apud Reuber.* ſibi carceris ac ſupplicii periculum metuendum fuiſſe conqueratur, illud tumultuario exemplo factum, non trahendum eſt ad exemplum. Unde & ineptit Compilator *Weichbild art. VIII.* quando in delictis Cæſaris Palatinum Comitem judicem eſſe ait, atque ridule addit: So ſoll man über ihn richten (ſcil. Imp.) und ihm das Haupt abſchlagen mit einer güldenen Parte / quæ tamen verba recens adjecta eſſe ſuſpicatur Dn. Schilt. *de lib. Eccl. Germ. lib. 4. cap. 4. §. 6.* cum in vetuſto Cod. MSS. Bibliothecæ Ambroſianæ non extent. Aliud forte de juſtis à Cæſare diſcedendi cauſis dicendum, de quo alibi. Ceterum hodie in omnibus Germaniæ Aulis diſciplinam aulicam varii Proceres procurant, prout Archi-Officio eminent. In Aula Cæſarea hoc officio, quando Archi-Officialis non adeſt, fungitur der obriſte Hoffmeiſter. In Aula Brandenburgica huc usque Camerarius, in Aula Saxonica Mareſchalcus & ita porro. In aliorum Principum præſertim exterorum aulis ſummus domus præfectus Gran Maggior Domo, grand Maitre d' Hotel. Diſciplina in eo conſiſtit, quod levato velo procedatur in cauſis ad Aulicos pertinentibus, non adſint certæ & determinatæ leges, nec certæ ſtatutæ pœnæ, quibus facinora Aulicorum reprehendantur, ſed eæ arbitrio Judicis Aulici, quis demum ille ſit, relictæ. Potiores ſunt in ephœbis nobilibus, ut in culinis virgis cædantur, in cubiculariis, ut ſine armis comparere in præſentia Principis teneantur, in Officialibus majoribus, ut eis aula interdicatur. Ob gravia

Comes Palatii eſt Judex Cæſaris.

Nempe in cauſis civilibus.

Non in delictis.

Ineptit Weichbild.

Lectio ſuſpecta eſt.

Diſciplina varie in aulis committitur.

via delicta demum ad dimiſſionem raro ignominioſam deſcenditur. Supplicium rariſſimum, niſi in cauſa læſæ Majeſtat. parricidii, rebellionis, homicidii &c.

## §. LXIV.

Diſciplina omnium pertinaciſſima in militibus. Quare.

Aula præbet ſpeciem caſtrorum, atque Aulici ſunt caſtrenſes: uti ſupra allegavimus. Ergo multo magis diſciplina obtinebit apud milites, quanto magis eorum morum rectio ad ſalutem publicam maximum affert momentam. Oportet eos eſſe famis atque frigoris patientes, horridos magis, quam decoros, imperio adſuetos, periculorum contemtores, prædæ abſtinentiores, à luxuria alienos, ſacramenti religoſos, patriæ amantes, uti Duces Romani loquuntur bonam partem apud Livium *hiſtor. lib. 9. cap. 40. lib. 10. cap.* 20. *lib. 14. cap. 34. & 37.* Tacit. *lib. 1. Annal. late.* Sueton. *in Jul. Cæſar.* Quare ubi magis diſciplina neceſſaria, quam in militibus?

Quæ diſciplinæ militaris partes apud Romanos.

Diſciplinam apud Romanos ex Polybio, Livio, Tacito aliisque ſcriptoribus deſcribit Roſin. *Antiquit. Rom. lib. 10. cap.* 25. Fuere autem coercitiones vel majores vel leniores: hæ ſtipendio ſpoliare, tendere extra caſtra, hybernare extra oppidum, foſſam fodere inſpectante exercitu, cibum ſtantem capere, diſcinctum deſtituti, hordeo paſci, haſtam dare. Majores ignominioſe dimitti (etſi hanc non coercitionem, ſed pœnam ad tenuiores referat Roſin. *all. loc.*) vitibus ſeu virgis cædi, venire, fuſte ſeu ſecuri percuti, in crucem tolli.

Militia Germanica antiqua.

Militiam Germanorum apprime Tacit. depingit *lib. de Morib. German. cap. 6. & ſeq.* Ait enim præcipue *cap. 14.* id genti armorum ſtudium fuiſſe, ut juvenes, quando domi pax erat, ne interim otio torperent, ultro vicinas gentes bello laceſſiverint *cap. 13.* adoleſcentibus pro toga in concilio à Principe aut Patre, aut propinquis ſcutum, frameamque datum: nihil neque publicæ, neqre privatæ rei, niſi armatos in omni vitæ parte geſſiſſe: mulierem acceptam in dona ſcuti atque enſis *cap.* 13. nec alia munera aut æſtimaſſe aut accepiſſe, quam equos, arma, phaleras torquesque *cap.* 15. ipſis mortuorum corporibus non aliud decus niſi armorum conſtitiſſe *cap.* 27.

Diſciplina.

De ipſa militiæ diſciplina hæc refert *cap.* 14. *Cum ventum in aciem, turpe Principi, virtute vinci, turpe comitatui, virtutem Principis non adæquare. Jam vero infame in omnem vitam ac probroſum, ſuperſtitem Principi ſuo ex acie receſſiſſe. Illum defendere tueri, ſua quoq; fortia facta gloriæ aſſignare præcipuum ſacramentum eſt. Principes pro victoria pugnant, Comites pro Principe.* i. e. Germani non deſerunt ſuos Duces probroſa contumacia, ut Romani ſæpius fece-

fecerunt, non fortibus pugnis coronas, torques &c. merent, ſed unica illis virtus pro Principe pugnaſſe, infame vero ei ſuperſtitem receſſiſſe ex acie. Miles itaque ſuperſtes ex acie, occumbente Principe infamis habitus. *cap. 12.* hæc habet: *Proditores & transfugas arboribus ſuſpendunt, ignavos & imbelles, & corpore infames* (i. e. timidos, meticuloſos, & qui injuriam verberum paſſi ſunt, nam hoc infamiam corporis denotat ex moribus Germanicis) *cœno ac palude injecta inſuper crate, mergunt. Diverſitas ſupplicii illuc reſpicit: Tanquam ſcelera oſtendi oporteat, dum puniuntur, flagitia abſcondi*, ne pecus ſcabioſum totum corrumpat ovile. Omnium vero turpiſſimum fuit arma perdidiſſe, de qua re cap. 6. *Cedere loco* (in acie) *dummodo rurſum inſtes, conſilii, quam formidinis arbitrantur. Corpora ſuorum etiam in dubiis prœliis referunt. Scutum reliquiſſe præcipuum flagitium; nec aut ſacris adeſſe, aut conſilium inire ignominioſo fas, multiq; ſuperſtites bellorum infamiam laqueo finiunt.* Duplicem itaque cauſam inferendi infamiam habuerunt priſci Germani, unam, ob deſertum Principem, alteram ob amiſſa in prælio arma: unam cauſam ſupplicio afficiendi milites, unam proditionis, quod adhuc hodie ſervatur. Qui enim aut Principem non recte defendit, aut caſtellum ſuæ cuſtodiæ datum, infamia notatur, ſed quænam illa eſt? arma ipſi demuntur: Es wird ihm der Degen und Wapen (quæ ſunt ſcutum, galea, & clypeus vid. Tacit. *cap. 6. ibi. ſcuta tantum lectiſſimis coloribus diſtinguuntur*, uti in antiquiſſimis adhuc Gentilium armis conſpicitur, welche nur Felder von Farben haben) zerbrochen. Qui vero effectus hujus infamiæ? ſupra diximus ingenuum & militem eſſe ſynonyma. Itaque ingenuum naſci, eſt naſci zu Schild und Helm ſeu Schildbürtig / i. e. militem. Cui ergo arma demuntur, ille ignominioſe ex militia, i. e. equeſtri ſeu militari ordine dimittitur, adeoque é ſtatu ingenuitatis in conditionem ſervilem deturbatur. Atque hæc in gravioribus. Leviora puniuntur cæſione vitium durch die Spieß-Ruthe lauffen / & fuſtium intra haſtas / zwiſchen die Piques prügeln / allegatione ad palum, am Pfahl ſtehen / & cæteræ leviores caſtigationes, quæ magis in emendationem morum, quam ad puniendum delictum ſtatuuntur.

Hodierna.

Arma demere infame.

## §. LXV.

Hactenus bene diſciplinam in ſe admittunt, Aulici, milites, & quos antea jam tum allegavimus, mercatores, cives univerſim omnes, Opifices, ruſtici, ſervi. Nemo omnium impatientius diſciplinam ſubit

Litterati diſci-

plinæ impatientiores. Fons contumaciæ. bit literato milite. Non eſt animal magis in domitum docto homine. Sapientiam ſibi cerebro fingit, quæ non eſt in orbe, & quam ipſe non habet, atque tamen, ac ſi manu teneret, & ſibi gratulatur & alios perſuadere conatur. Sapiens, dixerunt Stoici, DEus eſt. DEUS Rex Regum, ergo & ſapiens Rex Regum. Illi quis imperabit? Inde illæ concluſiones: Intellectum rem eſſe ſummi arbitrii, cum legem nullam accipere, qui daret, Tyrannum eſſe. Inde eſt, quod generale fere eſt

Artes Principum circa litteratos. in Hiſtoria omni, qui male audiunt, litteras odiſſe, qui laudantur, litteratos foviſſe, ac præmiis ornaſſe, uti fatetur ipſe Alexander Severus Cæſar, qui litteratis metuebat, ne quid de ſe aſperum ſcriberent teſt. Ael. Lamprid. *in Vit. Ejus.* Imo facile oſtendi poſſet, omnem tyrannidis cultum, ac Monarchiæ omne odium nos litteratis debere, prout Principes eos vel honorarunt, vel presſerunt. Expertos tamen eos aliquando adverſam fortunam eſſe, ſupra jam allatum eſt. Ex quo conſtat:

Rhetores à Philoſophis preſſi. Ratio. Rhetores inter & Philoſophos maximam fuiſſe ſemper contentionem, ac Philoſophos à Rhetoribus ejectos plus una vice Republ. fuiſſe. Scilicet Rhetores adulati Regibus ac Magiſtratibus, ſycophantarum more favores Magnatum aucupantes, excidium, quod magis meruerant, à ſe facilius averterunt.

Rhetorum in Rep. auctoritatis. In qua arte adeo valuerunt, ut cum Philippus à Græcis civitatibus ob frequentem rebellionem auctores ſceleris ſibi dedendos imperaret, Demoſthenes, qui auctor rebellionis fuerat, eo rem deduceret, ut Duces dederentur, ipſe ſervaretur incolumis Juſtinus *lib. IV. cap. V.*

Advocatorũ antiqua auctoritas. Adulationis ſpeciem Plato vocat Advocatorum munus: atque Advocati antiquitus Rhetores & Oratores appellati. Hi vero antiquitus qua in Rep. auctoritate eminuerunt? Quouſque nimirum ſanctiſſima res erat civilis ſapientia, quæ pretio nummario non erat æſtimanda uti Ulpianus inquit in *L. 1. §. 5. de Extraord. Cognit.* ſed paulatim

Eorum calumnia coercita. eorum petulantia mercenaria, & quæ inde proficiſcitur, calumniandi libido, coercenda fuit. Primum ſub Nerone SCto cautum, ne quis ad

SCtum ſub Nerone. cauſam orandam mercede aut donis emeretur. Tacit. *Annal. lib. 13. c. 5.* quo tamen SCto repetitum videtur, quod L. Cincia jam cautum erat.

L. Cincia vendere Advocationem prohibuit. Id declarat locus Tacit. *Annal. lib. 11. cap. 15.* ubi antiquitus jam L. Cincia cautum eſſe ait, ne quis ob cauſam orandam pecuniam donumve accipiat. *lib. 13. vero Annal. cap. 42.* docet, Publii Suilii Oratoris cauſa,

SCtum ſub Claudio. qui imperitante Claudio *terribilis & venalis* fuerat, arte potiſſimum Senecæ SCtum & pœnam L. Cinciæ petitam, ut is, quum mutatione temporum, non, quantum inimici cuperent, demiſſus videretur, opprime-

metur. Is magis ſe nocentem quam ſupplicem videri volens in *Senecam* invehit, *eum imperitiæ Juvenum, dicens, faviſſe & ſtudiis inertibus, ea incorrupta eloquentiæ anteponentem, adulterum domus Germanici: ac corruptorem cubiculorum Principum fœminarum increpans. Qua ſapientia, quibus Philoſophorum præceptis, intra quadriennium Regiæ amicitiæ, ter millies ſeſtertium paraviſſet? Romæ teſtamenta & orbos velut indagine ejus capi: Italiam & provincias immenſo fœnore hauriri.* Sed Suilii exemplum plures deinde ſequuti. Unde Plinii tempore novum Edictum à Nepote Prætore propoſitum: *ut omnes, quidquid negotii haberent, jurarent prius, quam agerent, nihil ſe ob advocationem cuipiam dediſſe, promiſiſſe, caviſſe,* quibus verbis ait Plin. *ſec. lib. 5. Epiſt. ult.* & venire advocationes & emi vetabantur. Factum hoc Edictum poſtulante Tribuno, qui graviter conqueſtus apud Senatum fuerat, vendi advocationes, ut refert *Id. lib. eod. Epiſt. 14.* Accipere tamen poſt peractam cauſam donum aliquod, tum quoque non fuit indecorum. Hac vero mercenaria Advocatorum opera eviluit glorioſum illud in Repub. Oratorum officium, atque cum Cicero Coſ. perorare non dubitaſſet Plinius Tribunus deforme arbitratus eſt cum Magiſtratum gereret, privatum ſe facere *lib. 1. Epiſt. 23.* Qui autem fuerint Advocatorum fœdi eo tempore mores, vid. *in Epiſt. Ej. 14. lib. 11. Plauſus tantum ac ſola Cymbala & tympana illis canticis deſunt: ululatus, neq; enim alio vocabulo poteſt exprimi, theatris quoq; indecora laudatio:* loquitur de plauſibus amicorum, de quibus vid. *Epiſt. 17. lib. 6.* elegantem & ad multum utilem. Sed, uti ſolet, vitia, quæ ſemel inoluerunt, longius vagantur. JCtorum juxta & Advocatorum mercenarium ſtudium graviter increpat Ammian. Marcellin. *lib. 30. cap. 10. 11. 12. 13. & ſeq.* Hodie certe Advocatio inter ſtudia de pane lucrando, numeratur, de qua re vid. *Obſerv. Hall. XI. in Additam.* & quam hodie Advocatio Cenſura opus habeat, docet Ziegler. *in Op. de Art. Rabuliſt.* Ceterum & aliæ diſciplinæ interdum diſciplinam tolerarunt. Poetas coercuit Domitianus Sueton. *in Domit. cap. 8.* Mathematicos multi, vid. *tot. tit. C. de Mathem.* alios alii.

Senecæ à Suilio objiciuntur crimina.

Prætoris Edictum.

Advocationis antiquum decus eviluit.

Poetæ coercentur & Mathematici.

## §. LXVI.

Quod ſi litterati diſciplinam tolerarunt ægre, tolerarunt tamen. Omnium vero intolerantius tulit Clerus. Adeo, ut non tantum nullam coercitionem admitteret, ſed plane Principem coercere præſumeret. Contra quam audaciam, ſi nihil aliud, certe hoc moveri poſſet, apud nullum unquam populum, nec Judaicum quidem, Regulos ſacrorum

Clerus diſciplinam non admittit. Imo in Principem diſci-

rum talia auſos, nec, ut ſibi liceret, opinatos eſſe, ut adeo hodienum, qui eam ſibi poteſtatem vindicant, probare oporteat, ſibi hoc jus ex Novo fœdere ſingulariter conceſſum eſſe. At vero obſtant, natura cenſuræ jus majeſtatis, cui cenſura ineſt, natura piarum actionum, quæ ea eſt, ut ſub honeſto comprehendantur: honeſtum enim ad virtutem ſpectat, ad virtutem pietas, honeſtum autem & virtus, atque adeo & pietas Cenſuræ ſubſunt. Id eſt, omnes ſubditorum actiones, quo eas nomine ſignifices ſummo Magiſtratui ſubſunt, atque ita ſubſunt, ut, etſi hujus Cenſuræ curam alteri committas (uti præſertim in magnis Rebuspubl. quæ plus una urbe conſtant, neceſſe eſt, fieri, quoniam Cenſura inſpectionem morum poſtulat, hæc non niſi à præſenti fieri, Princeps vero ut homo uno corpore conſtans, in tot loca diſtrahi non poteſt) ipſe tamen, uti ceterorum jurium omnium, ita & hujus ſummum jus apud ſe cuſtodiat, in ipſos delegatos Cenſores, jus cenſuræ retineat, illud revocare, quando lubitum erit, indies circumſcribere ac limitare, prout videtur, æquo ſemper jure poſſit. Unde vides, qua ratione nitatur illud, quod vulgo dicitur: cujus eſt territorium, illius quoque eſt religio. Namque cum honeſtatem & decorum aggeres diximus eſſe, quibus juſtitia communitur, ne ſceleratorum manibus polluatur aut violetur, facile apparet, cujus cuſtodiæ urbs ipſa mandata eſt, ei multo magis creditos aggeres, atque qui penetralia juris ſervat, eum multo magis cuſtodire longinquos ad ea aditus. Iterum perſpici facile poteſt, uti, qui aggeres expugnavit, facile urbem in deditionem accipit, quique omnes aditus obſeſſos tenet, de loco dedendo non adeo ſollicitus eſt, ita, ſi Princeps honeſti ac decori curam alteri ita committat, ut ſe ipſum ejus Cenſura ſpoliet, perſpicimus Principem ſe plane ipſum aut in ſervitutem tradere Cenſori, aut duo in Rep. ſumma Capita exiſtere, Remp. bicipitem adeoque monſtroſam fieri. Quod enim ſummum eſt, par non habet, ſi habet, non eſt ſummum. Itaque Princeps, qui honeſtum ac decorum tangere nequit, ſed ſummam ejus curam alteri relinquere tenetur, tantum abeſt, ut ſummus ſit, ut potius Cenſori ſubjaceat, quanto amplior diſciplina honeſti ac decori ipſa eſt jurisdictione. Qui enim jus dicit, nefarios ac ſceleratos ſaltem punit, qui inhoneſtos & indecoros reprehendit ac coercet, ſummorum quoque virorum, imo Principis quoque capitibus inſultat. Quis enim horum immunis eſt à prava voluntate, qua in flagitia ac libidinem proni ſumus? Unde apparet, qui in Principe ſummam Majeſtatem veneratur, ſed

plinam ſibi ſumit.

Cujus rei Clero incumbit probatio.

Diſciplinæ Cleri prætenſæ omnia contraria.

Pietas Cenſuræ Magiſtratus ſubeſt.

Hanc Cenſuram alteri committit Princeps & quare.

Sed non privative.

Cujus eſt territorium ejus & eſt religio.

Cenſura pietatis in alium absque diminutione Majeſtatis & periculo Reip. privative tradi nequit.

Vis Cenſuræ pietatis.

Qui eam habet privative, ſuperior eſt Principe.

Digitized by Google

ſed tamen ei cenſuram honeſti ac decori denegat, ſibique uſurpat, reum eſſe læſæ majeſtatis, ac quovis ſupplicio digniſſimum. Re enim vera Principem ſuum facit ſubditum, quem ob violatum honeſtum aut decorum reprehendere, coercere, atque, uti fit, ut coercitiones ejusmodi raro ſine effectu civili aut infamiæ nota ſint, reddere ſubditis vilem ac exoſum ac privare denique regno poſſit. Ita enim juncta ſunt honeſti ſibi ſoli curam ſumere & Principis eſſe Principem, ut ſeparari alterum ab altero ſine abſurdo nequeat: minimum ab iſta poteſtate ad hanc non niſi unus aut ſemigradus interjaceat: ad quem ſcio omnes perveniſſe, qui ſummam cenſuram ſine Principis ſupremo arbitrio exercuerunt.

Qui eam præſumit privative, Reus eſt Crim. læſ. Majeſt.

## §. LXVII.

Ergo, ais, Princeps coerceri non poteſt? integrum ei erit jura divina humanaque turbare, populi ſanguine uti tanquam beſtiarum, opibus tanquam ſuis? nullus metus religionis prohibebit, cum nulli fas erit Principem corripere. Ergo Principem divinis quoque legibus exſolvimus? non quidem exſolvimus præceptis divinis, ſed immunem præſtamus, ne cogatur actionum rationem præſtare ſubditis, ne cenſura Eccleſiaſtica deformetur ejus Majeſtas. Quis enim ſalva majeſtate ſubdere ſummum Magiſtratum judicio aut Cenſuræ privati hominis ſine ſcelere poteſt? Regeris: Ita Chriſtus *Matth. 18. v. 18.* juſſit: Quidquid ſolveritis in terra, ſolutum erit in cœlis, quidquid ligaveritis, legatum erit in cœlis. Atque iterum: *Joh. 20. v. 22. & 23.* Quibus remiſeritis peccata, remiſſa erunt, & cui ſervaveritis, eidem ſervata quoque ſunt. Sed huic rei multa objici poſſunt. Poterat enim maxime dubitari, utrum hæc de Cenſura Eccleſiaſtica, an vero de privata amicitia admonitioneque intelligi debeant. Quid enim iſtud eſt, quod dicitur in oratione dominica *Matth. 6. v. 12.* Remitte nobis culpam, uti remittimus noſtris debitoribus. Qui remittere poteſt; poteſt & ſervare. Qui ergo ſervat, poteſt coercere, excludere ſacris, in bannum, uti appellamus conjicere. Quæ ſi vera ſunt, privatus in privatum cenſuram Eccleſiaſticam exercebit. Iterum juſſit Chriſtus *Math. 18. v. 15. 16. 17.* juſſerunt Apoſtoli: ſi intercedant mihi ſimultates cum amico, illum amice admonere hac de re, cum arbitrio bonorum virorum componere, ſi corrigere ne tum quidem velit, habere eum uti Ethnicum & Publicanum. Sed quæ fuit Publicanorum peccatorumque conditio? Certe eorum, qui ſacris excluſi ſunt. Atque vero Chriſtus omnibus orationem

Reſpondetur rationibus dubitandi.



nem

nem dominicam orandam præſcripſit, Apoſtoli omnibus hoc modo uti Amicis præceperunt, cum quibus nobis lis obveniret: Ergone cuilibet in quemlibet Cenſuram Eccleſiaſticam & jus banni conceſſere? Vides, quæ incongrua exinde ſequerentur? Atque tamen verba clara adſunt, ut ex iis appareat ſatis quidem perſpicue, Chriſtum jus ligandi ac ſolvendi & ſervandi non Apoſtolis eo ſenſu dediſſe, ut eo tanquam ſummi Pontifices, jure aliquo abſoluto cenſuræ in omnes uterentur, ſitque id jus junctum cum ſacerdotii munere, ſed potius eis dediſſe tanqnam auditoribus ſuis, & qui totius Eccleſiæ populum præſentabant, pari modo, uti nec Apoſtolis ſolis permiſit orare: & remitte nobis culpam, uti & remittimus debitoribus noſtris, atque uti nec Apoſtolis ſolis permiſſum fuit, habere pro peccatore, qui admonitus corrigere culpam, renuit. Quare, qui tum ſacerdotibus jus ſummum cenſuræ datum eſſe credunt, iis probandum erat, Apoſtolis illud conceſſum eſſe, uti ſacerdotibus, deinde ſacerdotibus excellentius jus datum eſſe, quam reliquis datum eſt in Oratione Dominica, quod neminem feciſſe video, atque arduum ſatis erit præſtare. Sed quid demum ſignificabit ligare retinere? Dixit Chriſtus *Matth. 5. v. 23. & 24.* Si ſacrificare velis, ſacrificium non erit acceptum DEO, niſi cum proximo, cum quo controverſiam habes, in gratiam redieris. Cur vero ita? quia alio loco *Matth. 22. v. 37. --40.* dixerat: ſummum novi fœderis præceptum conſtare in amore DEI & proximi, & iterum alio loco 1. *Epiſt. Joh. cap. 4. v. 20.* neminem amare DEum poſſe, qui non amet proximum. Ergo qui DEO deprecatur culpam, quem læſerat peccatis, quomodo exaudietur, ſi proximum odit? Quod ſi exaudiri itaque vis à DEO, redire prius ingratiam cum proximo debebis, quoniam DEI amor & gratia ſine amore proximi non datur. Inde itaque eſt, quod, cujus reconciliationem ambio, qui vero me in priſtinam non vult amicitiam admittere, ejus peccata ſerventur: i. e. quoniam omnia ad reſtituendem amicitiam tentavi, ille vero animum amicum reſpuit & faſtidit, jam me DEus paratum ad amorem exaudit, ſed & ad durum illud caput ſpectat illud, qui ſe non reconciliavit, ejus ſacrificium non eſt acceptum DEO, ille non poteſt DEO deprecari culpam, quia nec iſte quidem remiſit debitoribus ſuis. Vides effectum ligamenti: Habetur is hoſtis humani generis pro Publicano & Peccatore. Sed in qua conditione ſunt peccatores apud DEum? Peccatores DEus non exaudit *Joh. 9. v. 31.* Ex quibus nunc illud primum intelligi poteſt, hac ratione Principi

Digitized by Google

cipi ſervari culpam non poſſe, cui remitti non poteſt. Remitti autem nequit, quia Princeps injuriam ſubdito non facit. Non autem facit injuriam, quia illi cum ſubdito nulla intercedit juris communio. Injuria enim & culpa denotat jus alterius ſive perfectum ſit, ſive imperfectum, lædere. Jus autem, quod Princeps lædere poſſit, ſubditus in Imperantem habet nullum. Unde Principem peccatorem ac publicarium habere velle, Crimen eſſet Læſæ Majeſtatis ac morte puniendum. Dum principem voco, intelligo omne ſummum imperium, ſive illud ſit penes Regem & Parlamentum, ſive penes Optimates, ſive alio modo mixtum. Deinde etiam ex iis apparet, quam hodie Bannus Eccleſiaſticus à vero Chriſtiano banno abhorreat, quam in eo nihil ſit, quod cum banno Chriſtiano conveniat, quam corrupta diſciplina, quam corrupta doctrina? quamque denique vera ſit Seldeni *de Synedr. lib.* 1. *cap.* 8. *&* 13. opinio, noſtrum bannum ſeculum ſapere, atque à Judæis defluxiſſe, & quomodo ſeculum regno cœleſti, cui præeſt amor DEI, ſine periculo miſceri nequit? In banno Eccleſiaſtico omnia ſecularia pœnitentia publica, excluſio à confeſſione & ſacra communione, quæ pertinent ad bannum minorem, quæque, etſi non omnem infamiam irrogent, non mediocriter tamen minuit exiſtimationem boni viri, & quidquam turpis comprehendit, uti loquitur Julian. *in L.* 2. *de Obſequ. Parent. & Patron.* Ad bannum majorem ipſa infamia, ſeparatio non à bonis ſaltem viris, ſed & ipſo conſortio hominum, & amiſſio interdum bonorum, eorumque relatio in Eccleſiaſticum fiſcum vid. late Selden. *all. loc.* Talia vero ſtatui in Principem poſſe, quis ita ſceleratus & à recta mente alienatus eſt, qui dixerit. Dixerunt tamen Sacerdot. Hülſem. *de Corrept. Fratern. pag.* 303. Danhauer. *Theol. Conſcient. P.* 7. *ſpec. dial.* 3. *pag.* 1131. ex ea ratione, quod bannus minor omnis ſpiritualis ſit, nec quidquam ex ſeculo contineat. Sed contrarium ejus, opinor, ex iis quæ diximus, ſatis clare apparet. Nec dubitarunt alii fateri minorem quoque bannum ſeculare aliquid continere. Faſſa eſt ipſa *Auguſtana Confeſſio de Poteſtat. Eccleſiaſt. vers. Cum igitur de JCtione Epiſcoporum:* ubi hic bannus ad res JCtionis refertur, faſſi ſunt alii & Pontificii, & purgatioris doctrinæ Viri, Lancell. *lib.* 1. *Inſt. tit.* 9. *§.* 9. Ziegl. *ad eund. lib.* 2. §. 10. Brunnemann. *Jus Eccleſ. lib.* 2. *cap.* 6. *membr.* 12. *pag.* 4. vid. *Apol. Auguſt. Confeſſ. tit. de pœnitent. pag.* 164. Ziegl. ad Lancell. *lib.* 4. *tit.* 12. §. 12 ubi oſtenditur, nec Pontificios diſſimulaſſe minorem quoque bannum nil prodeſſe ad ſalutem æternam, aut minuendam

Servari Principi peccatū.

Sine Crimin. Læſ. Majeſt. nequit.

Hodiernus bannus minor.

Major.

Neuter in ſummum magiſtratum ſine Crim. Læſ. Majeſt. ſtatui poteſt.

Minor bannus ſeculare aliquid continet.



Digitized by Google

dam aut ſervandam, ſed ſaltem pœnam eſſe purè ſecularem. Quæ ſi vera ſunt, atque confeſſione ſpontanea tum Theologorum tum JCtorum comprobantur, ineptum eſſet ſtatuere, Principem judicio ſubditorum ſubeſſe, ab iis pœna temporali infamiæ notari ac affici poſſe. Majorem bannum in Principem ſtatui poſſe, nemo præter romanenſes credidit, in qua re non ſaltem quod contra rationem, ſed & quod inſanum eſt commiſerunt, de qua re paulo inferius.

## §. LXVIII.

Princeps jus Cenſuræ ſummum ex Confeſſione Theologorũ habet.

E contrario Principes jus ſummæ Cenſuræ in Clerum habere jure optimo, habuiſſe olim & habere adhuc, hodie non ſaltem conſtat ex iis quæ ſupra §. *LVIII.* de jure Principis circa actiones honeſtas diximus, ſed noſtri Theologi largiuntur bonam partem. Fatentur enim Principi competere Jus conſiſtorii, jus viſitandi Eccleſias, jus ordinis & JCtionis Epiſcopalis, puniendi quoque delicta ſacerdotum, vid. Dn. de Lengercke *Diſput. de Cauſ. ad Camer. non appellab. cap. 3. §. 4.* Quæ ſi conceduntur, fatendum eſt, etiamſi quoque ſacerdotibus jus quoddam Cenſuræ ſine Principe competeret, quod tamen non competit, Principem eſſe ſupremum Cenſorem, atque omnium reliquorum maximum. Imo ſi æquales ſint. Num Cenſor in Cenſorem jus Cenſuræ exercebit? Hoc jam riſerunt veteres. vid. Liv. *lib. hiſt. 29. cap. 37.* Atque ſi haberet, quis quæſo in alterum? Utrum Princeps Majeſtate veſtitus in ſacerdotem, an ſacerdos homo privatus in Principem? res ipſa loquitur, niſi cœlum & terram miſcere velimus. Concedunt jus reformandi doctrinam non puram, permittunt jus circa adiaphora Illuſtr. Dn. Thomaſ. *Diſſert. de foro competente & ſubjectione clericorum ſub poteſtate civili cap. 1. §. 25.* Id ſaltem diſputatum fuit, an Princeps poſſit adiaphora tollere & immutare inconſulto Clero, & an Clerum renitentem caſtigare queat, iterum, an in Controverſiis Theologicis jus habeat cenſuræ, de qua re vid. Illuſt. Thomaſ. *Diſp. de Jur. Princip. decidend. Controverſ. Theolog.* & Breneiſens. *Diſſert. de Jure Principis circa adiaphora cap. 1. §. 11. & cap. 2. §. 3.* Sed puto hic multum aut verbis pugnamus, aut ita damus Principi, ut nihil revera obtineat. Namque quod ad ἀδιάφορα attinet, quid damus Principi, quando ei negamus exercitium. Ajunt res religionis eſſe delicatas, in quibus nihil mutari perperam æquum ſit, ne ſcandalis offendantur teneri audientium animi. Sed quando ergo exercere licebit? ſemper offendentur animi ſubditorum, quamdiu Clerus volet: nec Princeps erit Princeps quam

Duo adhuc controverſia fuerunt.

Jus Principis circa ἀδιάφορα

quan-

Digitized by Google

quantum per Clerum licebit. Deinde hoc ſcandalum num eſt datum, an vero acceptum? Cur enim ſcandalizantur (ut ita loquar) ſubditi? ſine dubio, quia ſacerdotes ita præparant animos auditorum, ut religioſum putare debeant, ſcandalum hanc ob rem ſumere. Qui, ſi ingenue nil ſancti ineſſe adiaphoris demonſtrare civibus vellent, nil Principi impedimento futurum erat; quo minus inoffenſo populo ſtatuere, quid vellet, poſſit. De jure decidendi controverſias largiuntur Principi, (loquor de JCtis & Theologis cordatioribus) eum poſſe prohibere, ne doctrinæ, quæ tandem illæ ſint, palam doceantur, ſcriptis edantur, publice communicentur: negant eum conſcientiæ imperare poſſe, aut defendere, ne quis in animo diſſentiat à doctrina vulgo recepta. Sed hoc nunquam ullus Princeps, nec Papa, quanquam conſcientiæ ſummus Rex ambivit. Neque de internis judicat Eccleſia, quis enim præter DEum ſcrutatus eſt? Satis itaque ſit, ſi tantum indulgent Principi, relinquamus eis dulces, quibus ſibi placent, intellectus imagines, modo non turbent Remp. Tempero mihi, lector, ab argumento fœcundo, ac admonent limites diſſertationis, ne Volumen conficiam. De proceſſu in Clericos, ſuſpenſione, remotione, punitione, quoniam vulgaria ſunt, reperies apud Schilt. *Inſt. J. Can.* Brunnem. *Jus Eccleſ. lib. 3. cap. 2. lib. 2. cap. 19.* & paſſim alioſque.

Jus Principis circa controverſias Theolog.

## §. LXIX.

Ita ergo, inquis, Principi ad quævis flagitia viam patefaciemus? Audi, qui ita murmuras, vocem gentium omnium, conſpirantem in unam ſententiam. Ita Tacit. *L. IV. hiſtor. Sunt vitia, dum homines erunt, ſed quæ interuentu meliorum penſantur. Itaque toleranda, uti ſterilitas, nimii imbres, ac cetera naturæ mala.* Vides, Patrem Politicorum hic nihil ſupereſſe opinari præter patientiam. Exſpectanda autem meliora tempora. Subeundam tempeſtatem quamvis violentam, ut malum, quod non diu furere poſſit. Salluſt. *de Bello Jugurth.* maxime diſſuadet violenta contra Tyrannum Conſilia, quæ Remp. in ultimam ruinam conjicere poſſint. *Magis* autem prodeſſe aliquam quam nullam habere Remp. *Vi quidem regere patriam aut Parentes quanquam poſſis, & delicta corrigas, tamen importunum eſt: cum præſertim omnes rerum mutationes, cædem, fugam, aliaq; hoſtilia portendant.* Notum eſt illud Horatii:

Conſenſus hactenus dictorum Gentium. Sententia Taciti.

Salluſtii.

Horatii.

*Regum timendorum in proprios greges,*
*Reges in ipſos Imperium eſt Jovis.*

Inachidarum. Vis Reſpublicas. Audi Inachidas, antiquiſſimam cum aliis gentem, apud Æſchyl. *in Argiu.* *Tragæd.* ubi de Rege loquuntur:

*Tu res populi, tuque urbs tota es,*
*Non Judiciis ſubditus ullis,*
*Regni ſolio fultus ut ara,*
*Unoque regens cuncta arbitrio.*

Orientalium. Orientalium omnium hac in re conſenſum ex Heredoto, Dione aliisque ſcriptoribus, vide apud Grotium *de J. B. E. P. L. I. cap. 3. §. 8.* M. Imperatorũ. Aurelius Imperator. *Magiſtratus de privatis, Princeps de Magiſtratibus, DEUS de Principibus judicat.* M. Antoninus Philoſophus dixit: *Solum* Ebræorum. *DEum Judicem Principis eſſe poſſe.* David, Rex Ebræorum, peccatorum veniam deprecaturus: *Tibi ſoli*, inquit, *DEUS peccavi.* Atque id pio exemplo comprobavit, cum incitatus à ſuis contra Saulum Regem, quantumvis provocatus, nollet vim injuſtam vi repellere, aſſerens, *nefas ac ſcelus eſſe, manus inferre uncto DEI, id eſt Regi.* Atque id ſemper ita obſervatum, nec Regem, quamvis admonitum, unquam banno pollutum à ſuis ſacerdotibus fuiſſe Selden. *de Synedr.* late demonſtra- Antiquæ Ecclesiæ. vit. Sed fortaſſe Chriſtiani veteres, dices, amplius ſibi jus ſumſerunt. Abſit tam impia opinari de Eccleſia incorrupta, quæ majeſtatem omnem, licet ab Ethnicis, licet impie adminiſtratam, à DEO eſſe, quam proſtituere, violare vel verbo etiam, ſceleſtum eſſe ac nefarium credidit, do- Pauli Apoſtoli & Patrum primæ Eccleſiæ. cente Paulo *Rom. XIII. v. 2.* Certè primi etiam Eccleſiæ Patres oppreſſos licet pene cives, qui Chriſto nomen dederant, tyrannide Cæſarum non ad coercitiones, caſtigationes, admonitiones, controverſias, acres querimonias, ſed obſequium, fidem ac patientiam exhortati ſunt. Na- Nazianzeni. zianzenus contra Julianum lacrumis utendum eſſe ſuaſit, addens, hoc ſolum contra perſequutores eſſe Chriſtiani remedium, Theodoret. *Hiſtor. Eccleſ. V. cap. 4.* deteſtans, eorum facinora, qui ſemet licet crudeliſſimis tyrannis oppoſuerunt, uti demonſtrat Grot. *laud. loc. cap. 4. §. 5.* Conciliorum. In quam rem faciunt *Canones Concil. Chalcedon. XVIII. Concil. Trull. IV. Synod. Sueſſion. V.* qui omnem ſupremæ poteſtati factam oppoſitionem Auguſtini. plane damnant. Optime Auguſtinus *L. V. de Civitat. DEI. Qui Veſpaſiano vel Patri, vel filio, ſuaviſſimis Imperatoribus, ipſe & Domitiano crudeliſſimo, & ne per ſingulos ire neceſſe ſit, qui Conſtantino, ipſe Apoſtatæ Juliano:* rectiſſime: Nam qui dixit: *DEum timete, Regem honorate*, non excepit luxurioſum, avarum, crudelem, nec inter obedientes clericos Cenſores. Et Parentis etſi duri imperium æquo animo ferendum. Bene *Epiſco-*

*pi*

Digitized by Google

*pi Franciæ Occidentalis in Epiſt. ad Hludovicum German.*, quando, abſen-" te Carolo, in Franciam irruptionem faciebat *Anno 858.* In qua obſe-" quium in Regem, ne facinioribus quidem ejus peſſumdari poſſe aſſe-" runt, exemplo Sauli, quod ſupra retulimus, rem illuſtrant, qui licet" exauctoratus à DEO, majeſtatem tamen non amiſerit, nec vitæ ejus" aut regno à Davide inſidias factas, etſi provocatus à Saulo & à ſuis in-" citatus fuerit, cauſatus ſcelus eſſe nunquam expiandum, manus in-" ferre *uncto DEI* i. e. *Regi.*" Itaque hic Cenſoris officium deſinit & di- cendum cum Gregorio *Turonenſ. Archi-Epiſcopo lib. 7. hiſtor. Francor. ſi quis de nobis ò Rex, Juſtitiæ tramites tranſcendere voluerit, à Te corripi poteſt: ſi vero Tu exceſſeris, quis Te corripiet? loquimur enim Tibi, ſed ſi volueris, audis, ſi vero nolueris, quis Te damnabit, niſi is, qui ſe pronunciavit eſſe juſtitiam?* Conſentiunt cum Turonenſi Archi-Epiſc. *articuli Comitiorum Vermerianorum de Anno 856.* in quibus ita cavetur: ſi cliens ſive ſit clericus, ſive laicus à recta via deflexerit, nec ratione ulla, unde aberraverat reduci poſſit, ut tanquam pecus ſcabioſum abſcindatur: ſed ſi Rex deflectat, non aliud medium ſupereſſe, *niſi devotam & ſubmiſſam adhortationem.*

Epiſcoporum Franciæ Occidentalis.

Gregorii Turonenſis.

Epiſcoporum Franciæ in Comitiis Vermericanis.

## §. LXX.

Quamvis itaque inter hos moderationis cancellos ſe non continuerint amplius cenſores, poſtquam Chriſtianam doctrinam Cæſares amplexi ſunt, ſed cedentibus Principibus, aut imprudentia, aut ſtupida ſuperſtitione, jugum illud impoſuerint, quo in Clientelam Romani Cenſoris addicti, omne circa cenſuram jus turpiter amiſerunt, ut nec Cenſor Romanus à Capite Chriſtiani orbis ſe temperaverit, ſed in illud fulmen Vaticanum deteſtando ſcelere vibraverit, obſervandum tamen eſt, cordatos ſemper viros uſurpatam hanc impio facinore Pontificis impotentiam immortali conſtantia oppugnaſſe. Theodoſium Ambroſius quidem ſacris excluſit, atque notandum eſt hunc Epiſcopum plus largiri Epiſcopis, quam quiſquam per ævum alius fecit, quod & obſervavit Dupin. *Biblioth. Eccleſ. Tom. 2. pag. 294.* aperte enim nihil juris Regibus in Cenſores eſſe, auſus eſt dicere. Quid vero de hac Interdictione ſenſerit ipſe Theodoſius, & quam falſe riſerit ambitionem Ambroſii, ex eo videri poteſt, quod præter alios Paul. Diacon. *Hiſt. miſcell. lib. 13. cap. 9.* referat: Theodoſium peracta pœnitentia primum dixiſſe, cum ei prorumpenti intra Cancellos exprobraretur ab audaci Monacho, Laicum tam prope ad altare accedere non oportere: *Non audacia cauſa intra Cancellos*

Non ſervarunt hanc moderationem Clerici.

Quibus ſe ſemper cordati Viri oppoſuerunt.

Theodoſiana excommunicatio.

Judicium de Ambroſio.

Theodoſii ipſius judiciũ de ſua excommunicatione.



Digitized by Google

*cellos manſi, ſed in Conſtantinopolitanâ urbe hanc conſuetudinem eſſe cognovi:* & deinde: *Vix, inquit, potui diſcere, quæ diſtantia ſit Imperatoris & Sacerdotis. Vix enim veritatis inveni Magiſtrum. Ambroſium namq; ſolum novi vocari digne Pontificem.* Quo exemplo cum incitati, jam ad promiſcuam ſacrorum interdictionem provolarent Clerici, primum Leo Imp. *Nov. Leonis 61.* ſine cauſa ſacris cuiquam interdici, deinde Juſtinianus per *Nov. 123. cap. 11.* ſine cauſæ cognitione ſacris excludere prohibuit, ſi fiat, excluſus reſtituatur, excludens Clericus ipſe à ſacris ſeparetur, quod deinde pluries repetitum vid. Rittershuſ. *ad Nov. dict. 123.* Quid in Imperio Francorum & Germanorum obtinuerit, nunc videamus. Itaque, etſi negari non poſſit, cum ingens barbarorum diluvium non Italiam modo, ſed omne Romanum Imperium miſera devaſtatione impleret, preſſum licet Romanum Cenſorem, clanculum & artificioſe Cenſoriam ſuam poteſtatem extendiſſe, excluſis Conſtantinopolitanis Cæſaribus: vid. Anaſthaſius Biblioth. *in Vit. Stephan. III.* nec tamen negari iterum poteſt, Carolum jus ſummæ cenſuræ, hactenus uſurpatum à Rom. Pontif. recuperaſſe & in gentem Francorum transtuliſſe. Conſtat enim ex SCto Rom. quod ex ſcriptore *Italo antiquiſſimo Ottoni Magn. coætaneo, quem publicavit Matth. Flacius apud Conring. de Fin. Imp. cap. 10. & ex Theod. à Niem.* retulit Schilter. *in not. ad concord. Nation. German. & ex Sigebert. Gemblacenſ. cap. 80. Chronic.* & Walthram. *Epiſcopo de Inveſtit. Epiſcop. apud Schardium* apparet, Carolo M. Ejusque ſucceſſoribus ab Hadriano & S. P. Q. R. una cum Principatu Romano, plenum circa ſacra ſacramque cenſuram, ordinandi Pontificem, ejus lites decidendi, Synodos conſcribendi, eis præſidendi, deliberandi, ac ſtatuendi in iis de rebus ſacris, JCtionem non in ſeculares tantum, ſed & Epiſcopos ſummam (nam, ut *ſcriptor antiquus Italus* loquitur Laici, & Epiſcopi homines Karoli facti) exercendi, tam in ſecularibus, quam Eccleſiaſticis cauſis jus plane Regium reſtitutum ac redditum eſſe. Id jus adhuc amplius ſtabilitum mortuo Adriano. Namque teſtantur *Annales Francor. Anonymus in Vita Karoli M. Monachus Egoliſmenſis, Poeta Saxonicus, & Annales, qui vulgo referuntur ad Eginhardum, omnes ad An. 797.* Leonem, Adriani ſucceſſorem, claves S. Petri & vexillum urbis Romanæ Karolo in teſtimonium ſubjectionis miſiſſe, ac rogaſſe Francorum Regem, ut ablegaret quenquam, qui Romam in fidem Cæſaris reciperet. Idem

Clerus abutitur excommunicatione. Leonis Imp. prohibitio. Juſtiniani prohibitio.

Jus Caroli M.

Leo

Leo *An. 800.* venienti Carolo Romam vexilla urbis obtulit, ac cum ibi crimina plura objicerentur, Karolum Judicem agnovit, ſeque ſacramento purgavit. *Annal. Bertinian. ad h. ann. Annal. Metenſ. ibid.* deinde venientem Karolum Imperatorem ſalutavit, & more priſcorum Principum adoravit, & Karolus totum hybernum tempus Romæ tam ſecularibus, quam Eccleſiaſticis rebus vacavit *Annal. Bertinian. ad Ann. 800. & 802. Annal. Metenſ. ibid.* Quod eo amplius declarat exemplum, cum Pontifex Formoſum & Damaſum Epiſcopos ad Thaſſilonem, potentiſſimum Bajoariorum Ducem, Legatos mitteret, qui fidem Pipino datam in memoriam revocarent, & ni ad obſequium rediret, interdictione ſacrorum comminarentur, hoc Papam facere non potuiſſe, niſi conſilio & conſenſu Caroli, teſtantibus id *Annal. qui Eginhardi nomine circumferuntur ad Ann. 88. Poet. Saxon. in Vita Karoli eod.* In regno vero Francorum Carolus, ut diſciplinam Cleri eo ornatius regeret, Synodum Aquiſgrani habuit *Anno 802.*, in qua regulam S. Benedicti omnibus Regni Epiſcopis, Abbatibus, Canonicis, Monachis &c. ſequendam præſcripſit *Chron. Moiſſiac. ad Ann. 802. Et 809.* Concilio Aquisgrani habito, controverſiam de proceſſione Spiritus S. diſcuſſit, quam Joannes Hieroſolymitanus Monachus commoverat, qua de cauſa Bernhardus Epiſcopus Warmacienſis & Adalardus Abbas Corbejenſis (ſine dubio is, ex cujus libello Hincmarus ſuam Epiſtolam de inſtitutione novi Regis hauſit) Romam miſſi ſunt. In eodem Concilio rurſus de diſciplina Eccleſiaſtica cogitatum eſt, ſed adulta jam vitia ea viſa ſunt, quibus impar Cæſar eſſet. Hæreſin Felicianam extinxit *Eginhard. in vit. Karoli M. Annal. Bertinenſ. ad Ann. 809.* Plenus hac de re eſt *Monachus Sangallenſis, integro libro de Eccleſiaſtica cura Caroli M.*, qui Karolum *cap. 27.* expreſſis verbis *Epiſcopum Epiſcoporum* atque adeo etiam Romani appellat, quem quæſo librum ob multa egregia de ſumma Karoli Cenſura teſtantia totum conferas.

Papa Karolum Judicem ac Cenſorem agnovit: Karolus Romæ Eccleſiaſticas res curavit.

Papa non auſus eſt cuiquam interdicere ſacris niſi conſenſu & auctoritate Caroli.

Carolus in Francia ſummam Cenſuram egit ſolus.

Controverſias Theologicas diſcuſſit

## §. LXXI.

Mortuo Carolo Hludovicus Cæſar ſe diu in dignitate defendit. *Communi Annal. fide atq; auctoritate præſertim Fuldenſium & qui Eginhardi nomine celebres ſunt, Thegani Chor-Epiſcopi Trevirenſis, Aſtronomi in Vita Hludovici & Nithardi* conſtat, Leonem, qui vivo adhuc Karolo Pontifex, Hlodovico Imperium inchoante, adhuc ſedebat, inviſum ob objecta crimina quædam populo Romano, conſpirantes in ſe, inconſulto Cæſare capitis damnaſſe, quam rem contra ſuam auctoritatem ſuſce-

Ludovicus Pius jus cenſuræ in Papam magnifice exercuit.

 ptam

Digitized by Google

ptam Cæſar adeo ægre tulit, *ut Bernhard. Regem Italiæ mitteret, quigeſta Papa* exploraret. Papa diffidens rebus ſuis, Legatos ad Cæſarem miſit, & ſacramento ſe à criminibus purgavit, teſtibus *Annal. Eginhard. Aſtronom. & Annal. Bertinian. ad Ann. 815.* Leo ſucceſſorem habuit Stephanum, Stephanus vero brevi poſt mortuus Paſchalem *Ann. 817.* Hic ſine auſpiciis Cæſaris creatus Pontifex, ad captandam ejus benevolentiam Theodorum miſit Legatum, ſignificans ſibi renitenti honorem objectum, ac rogans, ut ea formula, qua Anteceſſores ſui uſi eſſent, ſacerdotium tenere permitteretur. *Annal. Bertin. ad Ann. 817.* Unde vehementer errat Gobelinus Perſona *Coſmodr. æt. 6. cap. 45.* quando Paſchali à Hlodovico urbis ac provinciæ imperium, Romano Populo jus eligendi Papam conceſſum contendit. Equidem Cæſar eum firmavit, ſed cum ſtatim inceptum vix augurium turpi Theodori ac Leonis homicidio inquinaret, Cæſar iterum inquirendæ rei cauſa Legatos miſit Adalungum Abbatem & Hunfridum Comitem Curienſem, coram quibus Pontifex non ſaltem ſcelus ſacramento diluit, ſed & Legatos ad Cæſarem miſit, qui innocentiam ſuam jactarent, quibus Cæſar fidem habere ſimulans, ab ulteriori vindicta abſtinuit, quæ κατὰ τὸ ῥητὸν commemorant laudati *Annal. Eginhardi, Aſtronomus, & partim Theganus & Annal. Bertin. ad Ann. 823.* addit *Continuator Pauli Diaconi apud Marquard. Freher. ad Ann. 823.* Papam Lotharium, Cæſaris filium, primo in Italiam venientem, Imperatorem ſalutaſſe, ac illud in eum jus transtuliſſe, quod *priſci Imperatores* conſtanter exercuerunt, populumque ad ejus fidem obſtrinxiſſe, *ubi vid. quoq; juramentum.* Quæ, ſi vera ſunt, Lotharius, vivo adhuc Paſchali, in Italiam profectus eſt. Atque ſæpius citati *Annal. Eginhard.* commemorant, *Ann. 824.* mortuo Paſchali factione nobilium, Eugenium Archi-Presbyterum, Papam creatum eſſe, ac eam ob rem Lotharium à Cæſare in Italiam miſſum: Hunc eo venientem depravatum, quorundam Præſulum (quorum avaritia, ac fiſcum ſatiandi lubidine factum erat, ut faventes Cæſaribus bonis ſpoliarentur, uti ait *Aſtron. ad Ann. 824.*) perverſitate ſtatum Romanorum reſtituit. *Annal. Bertin. ad Ann. 824.* differentes hac in re ſcriptores conciliant, ac Hlotarium *Ann. 823.* veniſſe in Italiam, ac ſalutatum à Paſchali Cæſarem, & *Ao. 824.* eo rediiſſe juſſu Patris ajunt, ut rem de Eugenio exploraret. Extincto Eugenio ſubſtitutus eſt Valentinus Diaconus *Anno 827.* & hoc quoque brevi mortuo Gregorius Presbyter electus, ſed non prius ordinatus, quam Legati Cæſaris electionem populi examinarent. *Aſtron. Egin-*

Eum Leo Papa Judicem admiſit.

PapaMajeſtatemLudovici implorat pro retinendo ſacerdotio.

Notatur Gobelinus Perſon.

JudiciumCæſaris ſubit.

Papa in ſe jus priſcorum Cæſarum admittit.

Differunt Annales.

Lotharius juſſu Patris mores Cleri Romani coercet.

Conciliatio Annal.

Gregorius AuſpiciisCæſaris Papa factur.

*Eginhard, & Annal. Bertin. ad h. Ann.* Hactenus Cæſar ſatis maſcule dignitatem Imperii contra Romanum Præſulem tuitus eſt, ac Cenſuram, Regiæ Majeſtatis primam portionem, in ipſum ſatis egregie exercuit. Nec domi minus quam foras in regendis Sacerdotum moribus juſtus fuit ac acris. Refert enim *Aſtron. ad Ann. 817.* Cæſarem in conventu Aquisgranenſi, convocatis Epiſcopis, regulas vitæ Canonicæ præſcripſiſſe, & Benedictum Abbatem, aliosque Monachos auſterioris vitæ cultu claros, per monaſteria miſiſſe, ut ruentem fere, ac collapſam Eccleſiaſticam diſciplinam reſtaurarent, & morem vivendi ex regula Benedicti inculcarent. Prohibuiſſe etiam, Epiſcopos ſuperbe comitatu incedere, (ita Hilduinum ac Walach Abbates, faſtuoſo ſtrepitu, contra juſſum Cæſaris, ad Comitia Noviomagenſia venientes, ex Palatio expulit *Annal. Eginhard. ad Ann. 829.*) balteis aureis & calcaribus armari. At tandem ea res Cæſari exitio fuit. Namque refert Theganus, Cæſarem ex viliſſima & ſervili neceſſitudine, homines ad ſummos ſacerdotii honores provexiſſe, hos vero adeo immoderate ſe geſſiſſe, ut in ſubjectos tyrannidem exercuerint, æquales contemtui habuerint, ac coegerint, natales ſuos ſervili cognatione conſpurcare, in ſuperiores nobiliſſimos & clariſſimos Viros, inverecunde ſe geſſiſſe, ac tandem omnem in Regem ipſum pietatem ac devotionem exuiſſe. (*) Etſi

Ludovicus Clero Francico normam vivendi præſcribit.

(*) Invehit vero omnium maxime in Hebonem Archi-Epiſcopum, quem Hludovicus ex fece ſervorum, ad primas Eccleſiæ dignitates produxerat, poſtea vero civilibus factionibus ſe miſcentem petulantiſſimum conjurationis Incentorem ſe geſſerat. *Crudelis,* (ita alloquitur Theganus Hebonem) *cur non intellexiſti præcepta Domini. Non eſt ſervus ſupra Dominum ſuum. Quamobrem contemſiſti præcepta Apoſtolica illius, qui ad tertium cælum raptus erat, ut inter Angelos diſceret, quod hominibus ille ſic præciperet: Omnibus poteſtatibus ſublimioribus ſubjecti eſtote: non eſt poteſtas niſi à DEO. Et iterum alius dicit: DEum timete, Regem honorate: Servi ſubditi eſtote in omni timore, non tantum bonis & modeſtis, ſed etiam diſcolis, hoc eſt enim Gratia. -- Tu non intellixiſti triformem legem tuam quæ dicet: Cibaria, & virga, & onus aſino, panis & diſciplina & opus ſervo -- Patres Tui fuerunt Paſtores caprarum non Conſiliarii Principum &c.* Hic vero Hebo in Synodo ad Theodonis villam, quorſum Hludovicus totius Imperii Epiſcopos & Abbates convocaverat, culpam confeſſus, quam contra Cæſarem comiſerat ſemetipſum ſacerdotio abdicavit. *Annal. Bertin. ad Ann. 835.*

Digitized by Google

Etſi enim in ſecunda cum filiis congreſſione *Ann. 833.* ad Warmaciam, cum filii Gregorium Pontificem ſecum, ex Italia longa rogatione evocatum, in Caſtris circumducerent, titulo conciliationis tentandæ, re vera Patrem terrendi, ejusque amicos interdictione ſacrorum ab eo alienandi, uti teſtantur *Nithardus lib. 1. & Thegan.* atque hic, cum ad eum & filios explorandæ eorum voluntatis cauſa, Legatos mitteret Cæſar, non obſcure ſignificaſſet, ſe Imperatorem ſacris excluſurum, ni filiorum poſtulatis annueret, Epiſcopi, qui favebant adhuc Cæſaris partibus, digna virtute ac conſtantia, Pontificis incredibili audaciæ obicem ponendum exiſtimaverint, uti diſerte *Aſtron. in Vit. Hludovici ad Ann. 833.* (*Quum vero rumor usq; quaquam diffuſus ſereret de ceteris, quod verum erat, de Papa vero Romano, quod adeſſet, ut tam Imperatorem, quam Epiſcopos excommunicationis vinculis irretire vellet, ſi qui inobedientes eſſent, ſuæ filiorumq; Imperatoris voluntati, parum quid ſubriguit Epiſcopis Imperatoris præſumtio audaciæ, aſſerentibus, nullo modo ſe velle ejus voluntati ſuccumbere, ſed ſi excommunicaturus veniret, excommunicatus abiret, quum aliter ſe habeat antiquorum Canonum auctoritas*) nihilo tamen minus eo audaciæ proceſſerunt, ut tandem Cæſarem ipſum à ſacra Communione ſeparaverint, omnium longe maxime ludibrio habuerint, & rigidiſſima Cenſura Eccleſiaſtica caſtigaverint Thegan. *in Vita Hludov. Pii,* cauſas Cenſuræ refert *Auct. actor. exauctoration. Ludovici ap. du Cheſn. Tom. 2. p. 332.*

Gregorius minatur ſe Ludovico ſacris interdicturum.

Epiſcopi Franciæ hoc contra Canones eſſe contendunt, quod ſi faciat ipſum pontificem excommunicatum iri ajunt. Tandem Cæſar ſuccumbit

## §. LXXII.

Mortuo Ludovico cum ejus filii civilibus bellis latum Francorum Imperium miſere lacerarent, ac quisque altero, omnium vero maxime Hlodharius ſuperiorem ſibi reliquis potentiam comparare ſtuderet, non eſt dubitandum, quemlibet Procerum ac Epiſcoporum, quorum inter eos jam Ludovici Patris ætate, magna erat auctoritas, ſtudia ambiiſſe, eorumque hac ratione dominatum non mediocriter auxiſſe. Magna præſertim eorum lubidini acceſſio data eſt, poſtquam fugato Hlothario, Ludovicus & Karolus, omiſſo fratre, ampliſſima Patris regna inter ſe dividere ſtatuerent. Namque delato hac de re ad Epiſcopos judicio, ut non tam ſuo, quam divino arbitrio rem feciſſe viderentur, hi cenſuram regiam ſibi ſumere, ac Hlodharium imperio indignum pronunciare non dubitarunt. *Nithard. init. lib. 4. Et primum quidem viſum eſt, ut rem ad Epiſcopos ſacerdotesq;, quorum erat pars maxima, conferrent, ut eorum conſultu velut numine divino, harum rerum exordium atque*

Impotentia Cleri ſub Filiis Ludovici. Unde?

Hlotharium regno indignum pronunciant Epiſcopi.

*quæ auctoritas proderetur. Et hoc illis, quoniam merito ratum videbatur, commiſſum eſt. Quibus ab initio geſta Lodharii conſiderantibus, quomodo Patrem Regno pepulerit, quoties populum Chriſtianum perjurum ſua cupiditas effecerit, quoties idem ipſe, quod Patri, fratribusq; juraverat, fruſtraverat, quoties poſt Patris obitum fratres ſuos exheredare, atq; delere temptaſſet, quanta homicidia, adulteria, incendia omnigenaque facinora, univerſalis Eccleſia ſua nefandiſſima cupiditate perpeſſa ſit: inſuper neq; ſcientiam gubernandi Rempublicam illum habere, nec quoddam veſtigium bonæ voluntatis in ſua gubernatione, quemlibet invenire poſſe, ferebant. Quibus ex cauſis non immerito, ſed juſto DEI Omnipotentis judicio primum à prælio, & ſecundo à proprio Regno illum fugam iniiſſe ajebant. Ergo omnibus unanimiter viſum eſt, atq; conſentiunt, quod ob ſuam nequitiam, Vindicta DEI illum ejecerit, regnumq; fratribus ſuis melioribus ſe juſte ad regendum tradiderit.* En primum poſt Karolum & Hludovicum Eccleſiaſticæ in Regni negotiis dominationis fundamentum. Divino judicio (ſi diis placet) abrogatum Hlothario Imperium, ac melius merentibus traditum. Nec tamen fratres auctoritatem omnem Epiſcoporum agnoverunt. Facta enim apud confluentes pace (qua inter alia quoq; lubido & abuſus interdictionis ſacrorum intra limites voluntatis Regiæ concluſus Schilt. *Lib. 3. cap. 1. §. 11. de Lib. Eccl. Germ.*) ac diviſo regno, cuique é Fratribus jus regium in Epiſcopatus, Ducatus, Abbatias, & comitatus, (hoc enim ordine recenſentur in tab. diviſionis Hlotharii regni ſeu Lotharingiæ, quas poſt alios exhibet H. Conringius *lib. 1. de Finib. Imp. cap. 7.*) obvenit Nithardus *lib. 4. de bell. fil. Hludovic. Regin. Abb. Prumienſ. Siegebert. Gemblacenſ. una cum Annal. Fuldenſ. ad Ao. 842.* quod & adeo regie Hludovicus Germanicus in ſua portione exercuit, ut non tantum Epiſcopos inſtituerit, atque removerit ſuo ſaltem arbitrio, uti ejus rei exempla ſunt in Hrabano, qui mortuo Otgario voluntate ſaltem regia non electione populi ſucceſſit, *Annal. Fuldenſ. ad Ann. 847.* & in Theotone Abbate Fuldenſi, qui Hatoni defuncto iterum ſolo Regis arbitrio non electione, non confirmatione ſuffectus eſt: *Annal. Fuldenſ. ad Ann. 856.* Sed etiam in componendis controverſiis Eccleſiaſticis ac obeunda diſciplina Eccleſiaſtica ſe vere Regem oſtenderit. Namque Hrabanus Mogontiæ Archi-Epiſcopus *Ao. 847.* Synodum Epiſcoporum Germaniæ habuit, in qua Thiotam muliérculam, quæ falſa Oraculorum fide populum corruperat, damnatam flagellis cædi curavit, ſed id factum *juſſu, auſpiciis, & auctoritate Hludovici*, uti expreſſe *Annal. Fuldenſ. ad Ann. 47. Iisdem auſpiciis* idem Hrabanus

**Pace conſuentana Interdictioni ſacrorum modus dictus. Cuique Fratri jus regium in Clerum datum.**

**Ludovici Germanici jus Regium in Epiſcopos & Clerum Germaniæ.**

**Jus regium decidendi Controverſias Theologicas.**



Digitized by Google

*Ao. 848.* aliam Synodum coegit, in qua Goteſcalcum, immutabile fati decretum jactantem, ejurare opinionem coegit atque *ejectum Regno Hludovici* exulare aqud Ingumerem Rhemenſem Epiſcopum compulit. Iterum Hrabanus *Ao. 852.* convocatis Orientalis Franciæ, Bajoariæ ac Saxoniæ Epiſcopis ac Abbatibus, Moguntiæ *juſſu Hludovici* Synodum habuit, in eaque de diſciplina Eccleſiæ conſilia cœpit, cujus deinde *decreta Rex auctoritate regia comprobavit, iisq; legis vigorem dedit*, uti expreſſis verbis teſtantur *Annal. Fuldenſ. ad Ann. 852.* Cum deinde in expeditione in Franciam Occidentalem ager Rhemenſis ab excurrente milite aliquid damni paſſus eſſet, atque Synodo Metenſi *Ao. 859.* ab Epiſcopis habita, decretum eſſet, ad Hhludovicum Legatos mittere, qui ei religionem injicerent atque, ut pœniteret, & ut promitteret, ſe in poſterum nihil horum commiſſurum, permoverent, tantum abſuit, ut horum poſtulatis annueret, quin potuis frigidius reſponderet, ſui Regni Epiſcopos ſynodo non interſuiſſe, inſciis ſe pœnitere aut hac in re quidquam ſtatuere non poſſe, communicaturum cum illis negotium. Cum autem forte de interdicendo ſacris Hludovico mentio injecta eſſet, quid de hac re ſenſerint Epiſcopi, id declarat *Synodi Metenſ art. XI. cujus acta extant in Tom. 2. du Cheſn.* ibi *ſin alias, vos ullo modo, quem abſolvere non poteritis, ligare nolite. Quoniam nec coram DEO, nec in ſynodo nos inde auctores habebitis: ſin agere aliter, quod abſit, præſumſeritis, vosq; in Synodo & coram DEO pro facto irrito dabitis rationes.*

Jus regium diſciplinare Eccleſiaſticū.

Epiſcopi Francici Regi ſacris interdicere nefariū judicant.

## §. LXXIII.

In parte Hhlotharii mortuo Patre Cæſare Hhlotharius filius magna vehementia fulmen Vaticanum à Nicolao Papa vibratum ſenſit, ob ductam repudiata Tietberga Valdradam uxorem. Eam rem ut juſtam, ac cum Canonibus convenientem, probaverant univerſi utriusque Franciæ Epiſcopi Synodo Metis. *ad Ann. 863.* collecta. Sed Papa à Teutberga ſollicitatus, non tantum decretum Synodi damnavit, ſed & Gunthario Colonienſi, & Teutchaudo Trevirenſi Epiſcopis ſacris interdixit, ceterosque omnes, donec ſententiam mutarent, à communione excluſit. Quam aud aciem Guntharius & Teutchaudus non tulerunt, ſed per litteras Pontificem à communione ſua iterum ſepararunt, oſtendentes inter alia, *Pontificem Romanum fratrem ſuum eſſe, ac parem, Principem ac judicem non agnoſcere. Annal. Fuldenſ. ad d. Ann. 863. conſ. Levold. à Northof. in Catal. Epiſc. Colon. ap. Meibom. tom. 2.* qui Valdrudem Walburgam appellat. Aliter recenſent rem *Annal. Metenſ. ad Ann. 864.* Sed diſſimulare tamen non poſſunt utrumque, Ludo-

Nicolaus Pont. quosdam Epiſcopos Germaniciæ excommunicat.

Epiſcoporum Germaniæ hac de re ſententia.

Digitized by Google

Ludovicum Cæſarem Fratrem Lotharii adiiſſe, ac demonſtraſſe Papam hoc facinore *violaſſe jus Cæſaris & Eccleſiæ Franciæ, inauditam eſſe ac ſine exemplo rem, Metropolitano à Pontifice Romano ſine conſenſu Principis abrogatum eſſe Epiſcopatum*, atque addere tenetur, Epiſcopos, ut reſtituerentur, petiiſſe, ac Cæſarem eorum cauſam ſuam feciſſe, atque etſi Tietgaudus ſponte ſe Epiſcopatu demiſiſſet, Guntharium tamen contemto Pontificis decreto Pontificatus jura exercuiſſe. Ex iis autem, quæ habent *iid. Ann. ad Ann. 866.* apparet, cum Papa eo audaciæ proceſſerit, ut ipſi Hhlotario ſacris interdixerit, Lotharium Pontificis iram non adeo timuiſſe, ut nihilominus Tietbergam iterum repudiaverit. Quid vero ceteri Reges de hac interdictione ſenſerint, videri poteſt ex litteris Ludovici Germanici ad Carolum Calvum *de Ann. 863. apud du Cheſn. Vol. 2.* in quibus Ludovicus oſtendit, ſe quidem ob interdictum ſacris Lotharium cum eo communicare non poſſe, nec tamen obſcure ſignificat, ſi redeat ad amicitiam, recipiendum eum eſſe, ut potuis ſimultatum, quam religionis curam habuiſſe videatur. Componi privata Regum auctoritate res potuiſſet, niſi Caroli obſtitiſſet infidus animus. Namque cum jam Tullum conveniſſet Ludovicus, Carolus & Lotharius, atque eo res jam deciſa eſſet, ut ſuppreſſa interdictionis ſacrorum cauſa, unanimi omnium auſpicio Comitia tractarentur, qua ratione interdictionis effectus omnis ſublatus erat, Carolus omnia propalavit apud Populum, atque, ut diſſolverentur comitia, auctor fuit *act. Comit. apud du Cheſn. Annal. Bertin.* Nec tamen Lotharius movere Nicolaum potuit, quem imperioſum Papam appellant *Annal. Metenſ. ad Ann.* 868. immodeſtum & inauditæ antehac petulantiæ *Annal. Bertinian. ad Ann.* 865. Itaq; mortuo Nicolao, ad Adrianum ivit, ac intercedente Engelberga Fratris uxore vi munerum à Papa communionem, ac cum deinde Romam iret, nec honoris cauſa ſibi Clerus obviam veniret, multis iterum donis impetravit, ut Papa ſibi leenam, palmam, ac ferulam dono redderet, (uti ſolent munera romana comparata eſſe) quæ munera ita Hhletarius interpretatus eſt, ut (ſunt verba *Annal. Bertinian. ad Ann. 869.*) per leenam de Vualdrada reveſtiretur, per palmam victorem ſe in his, quæ cœperat, demonſtraret, *per ferulam Epiſcopos ſuæ voluntati reſiſtentes obſiſtendo diſtringeret.* Quod oportunum conſilium mors antevertit. Obiit enim *eod. ann. VIII. Id. Auguſt.* Placentiæ, nec eſt facile ſcriptor, qui obitum non rejiciat, aut ad repudium Teutbergæ aut ad Interdictionem Nicolai. *Annal. Bertinian. & Metenſ. ad h. ann. Continuator Aimon. lib. 5. cap. 21.*

Papæ non permittitur Epiſcopum Germaniæ ſine conſenſu Cæſaris excommunicare.

Pontifex Lotharium Cæſ. excommunicat.

Regum de ea excommunicatione ſententia.

## §. LXXIV.

Caroli Calvi diſciplina Eccleſiaſtica, & jus regium.

Carolus autem Calvus Occidentalis Franciæ Rex interdum rigidiorem, in diſciplina, interdum remiſſiorem, pro ut res tulit, ſe geſſit. *Anno* 853. duos Presbyteros, qui cum Pipinio in Aquitaniam effugere conſtituerant, in Monaſterio S. Medardi gradu dejecit. *Anno* 862. Juditham filiam, Edelbolbi Anglorum Regis viduam, quod à Balduino Comite ſe rapi paſſa fuerat, apud Sueſſiones, coacta Synodo interdici ſacris juſſit. Eodem Anno alia Synodo Piſtis collecta Rothardum Sueſſionum Epiſcopum ob contumaciam inſignem, uti dicitur, à ſocietate Epiſcoporum & uſu ſacrorum ſeparavit, & *appellantem Curiam Romanam Epiſcopatu dejecit*, (ita enim intelligo locum qui alioqui obſcurus eſt in *Annal. Bertin. ad cit. annos & Anno* 862.) *An.* 867. Hincmarus Litteras à Nicolao Papa accepit, quibus jubebatur, ut negotium relatum communicaret cum Franciæ Epiſcopis. Continebatur autem litteris controverſia, quæ Papæ cum Eccleſia Orientali intercedebat de Proceſſione Spiritus Sancti. In hac re Hincmarus ſtatuere quidquam ſibi religioni duxit, antequam in Palatio Carbonaci ejus certiorem redderet Carolum, atque ejus ſententiam exploraret. *Anno* 869. mortuo Lothario, Ludovici Imperatoris Fratre, accidit, ut Adrianus Papa, non ſaltem Legatos mitteret ad Carolum, ſed & litteras, quibus, ne quid ex regno Lotharii uſurparet, ei prohibeatur, ſi faceret, ſacris ſe excluſum ſciret. Quas Carolus impune ſprevit, ac Lotharingiam primus ſolum occupavit, deinde cum Ludovico Fratre diviſit. *Anno* 810. Carolomannum filium, pluribus beneficiis Eccleſiaſtiaſticis ornatum, ob inſidias Patri ſtructas Silvanectum in cuſtodiam miſit, quem deinde, cum elapſus validam in regno factionem excitaret, *Anno* 873. Sylvanectenſi Synodo, omni dignitate Eccleſiaſtica uxutum, cum nec hanc coercitionem curaret, tempore pœnitendi conceſſo, graviori pœna caſtigaturus erat, niſi propria Carolomannum pernicies in ſummum adduxiſſet diſcrimen, atque effeciſſet, ut magis miſericordia, quam vindicta dignus videretur. Si quidem, excœcatus Luitberto Archi-Epiſcopo in Monaſterio S. Albani apud Mogontiam alendus traditus eſt. *Anno* 871. Hincmarum Laudunenſem Epiſcopum *hominem inſolentiæ ſingularis, contra Evangelicam veritatem, & Apoſtolicam, & Eccleſiaſticam auctoritatem*, uti ajunt Annales, *Regi rebellem*, Synodo apud Duciacum indicta, caſtigari juſſit, ceu hæc omnia latius referunt *Annal. Bertin. alleg. ann.* Et quid multis? Legem tulit, *ne quis, ſe inſcio, auſus fuerit, interdicere cuidam ſacris*, quam legem recenſet Goldaſt. *Conſtit.*

Prohibet quenquam ſe inſcio excommunicare.

*ſtit. Imp. tom. 9. fol.* 1388. imo Selden. *de Synedr. lib. 1. cap. 10. pag. 243.* non tantum hæc ita uſu ſemper obſervata eſſe oſtendit, ut ſine cauſæ cognitione nemo ſacris excluderetur, eamque cauſæ cognitionem ſpectaſſe ad cuſtodem Palatii, ſed &, ſi cui ſacris interdictum fuerit, eum liberari à Rege, aut declarata expreſſa voluntate aut tacite ita potuiſſe, ſi Rex eum menſæ una accumbere juſſiſſet. Ex adverſo, cum Carolus dignitatem Cæſaream à Johanne Papa per ſordes obtinuiſſet *Annal. Bertin. & Fuldenſ. ad Ann. 876. Annal. Metenſ. ad Ann. 872.* (per id tempus fuit, quo Epiſcopi Galliæ ad Ludovicum ſcriberent. Regem, etſi impium, coli conſtanti obſequio oportere, quam Ordinum ſententiam ſupra retulimus) multum ſine dubio Joanni ancillatus eſt. Teſtantur pariter reliqua *acta Synodi Pontigonenſis eod. Ann. 876. habitæ*, quando adhuc recens collatæ dignitatis Cæſareæ memoria vigebat, in qua, de cauſa Anſegiſi Epiſcopi Sennenſis diſputatum. Hic à Pontifice Primatum Galliæ hac ratione emendicaverat, ut, *quoties utilitas Eccleſiaſtica dictaverit, ſive in evocanda Synodo, ſive in aliis negotiis exercendis per Gallias & per Germanias, Apoſtolica vice frueretur*, uti loquuntur *Annal. Bertin.* Cumque per Joannem, Tuſcenſem Epiſcopum, Legatum Pontificis decretum hoc legeretur, Carolus ipſe præſens fuit, & rogavit, quid ad Decretum reſponderent. Epiſcopi ſarta oportere tectaque eſſe jura cujusvis Metrapolitani dixerunt. Imperator vehementius preſſit, cumque nihil amplius ab Epiſcopis extorquere poſſet: *Tunc motus Imperator* (ita pergunt Annal. Bertiniani) *dixit, quod dominus Papa ei ſuas vices commiſit in ſynodo, & quod iisdem præcepit, ille exequi ſtuderet.* Nec amplius moratus, ſedem ante omnes alios Epiſcopos capere Anſegiſum juſſit, contradicentibus licet omnibus, provocantibusque ad Canones ac vetera ſua jura præſertim Rhemorum Archi-Epiſcopo. Quæ porro in iſta Synodo acta ſint, quæque alia favori Joannis Papæ dederit Carolus, quoniam hoc quidem exemplum aliis eminentius eſt, prætereo, leges ea in *Annal. Bertin. ad Ann. 876.*

Ejus rei praxis.

Ejus adulatio Curiæ Romanæ.

## §. LXXV.

Invaſo fraude à Carolo Imperio Ludovicus excreſcentem Caroli potentiam in principio reprimendam, atque cupidinem rapiendi aliena, ne aliquando & ſibi detrimento foret, cohibendam exiſtimans, Carolomannum filium cum exercitu in Italiam miſit, quem Carolus, ut erat callidus, dolis circumventum, ita demulſit, ac ſi nulla ratione, ſi quid Ludovico Patri jus eſſet. diminutum iret, ut omiſſa expeditione



Digitized by Google

reverteretur in Germaniam *Annal. Fuld. ad Ann. 875.* Ipſe Ludovicus Willebertum Archi-Epiſcopum Colonienſem, Adalardum & Meringaudum Comites, Legatos ad fratrem miſit, ac partem regni Hludovici poſtulavit *Annal. Bertin. ad Ann. 876.* Quorum, cum nihil faceret Carolus, Carolomannus mortuo Ludovico injuriam ulturus, exercitum miſit in Italiam, qui expugnata Roma Joannem dedit in cuſtodiam, populumque fidem Karlemanno jurare coegit *Annal. Fuld. ad An. 878.* Arnulfus deinde Italiam ingreſſus, capta urbe à Pontifice Cæſar & Auguſtus appellatus, populum ſacramento obſtrinxit, Faroldum nobilem Clientem ſuum urbi præfecit, Senatores urbis, qui cum Ageldrude, Widonis uxore, conſpiraverant, caſtigavit, & Hratoldum filium ex concubina natum Italiæ rebus præpoſuit. *Fuld. ad Ann. 896.* poſtquam iterum atque iterum à Famoſo Papa exoratus eſſet, ut Italiam liberatam à Tyrannide Widonis & Berengarii tandem ſibi vindicaret *Annal. Fuld. ſæpius alleg. ad Ann. 890. & 94.* Inter ea in Francia Occidentali miſera Reſpubl., pulſo Carolo Simplice ſub Andegavenſibus & Burgundiæ præſertim Regulis gemebat. Hi blandius colere Proceres ac inter hos Epiſcopos quoque coacti, multum à prima auctoritate Regia in utraque tam civili, quam Eccleſiaſtica Cenſura remiſerunt, Frodoard. *Presbyter Rhemenſ. in Chronic. ad Ann. 927.* Qui & ad *Ann. 38.* ait, mortuo Hrodulfo, cum odines Regni Ludovicum, Karoli filium in Anglia exulantem ad capeſſendum regnum evocaſſent, adeo Franciam laboraſſe diſſidiis, adeo quemlibet graſſatum in viſcera regni, ac ſi Gallia ſine capite, ſine Rege eſſet. Lites has non compoſuit, ſed pendentem ex iis Franciæ ruinam remoravit Stephanus Pontifex, qui omnibus obſequium Ludovico habendum indixit, ni facerent, fulmen illud ſexale excluſionis ſacrorum injecturus. Perterriti hac tempeſtate uterque Wilhelmus Brittonum ac Nortmannorum Principes, Hugo & Heribertus ſe ad obſequium compoſuerunt *Frodoard. ad Ann. 942.* Sed non diu duravit ſimulata concordia, quin tandem in apertum bellum erumperet. Cumque Rex contra Nortmannos ſollicitatos ab Hugone adeo infeliciter pugnaret, ut ipſe caperetur, atque ab Edmundo Rege pro liberatione Regis ad Hugonem Legati mitterentur, Gerberga Regina meliori conſilio uſa, ad Ottonem fratrem Germaniæ Regem Legatos pro vindicando regio honore miſit, qui ſtatim, ut majeſtatis apud omnes Reges peculiaris ac communis ſanctitas habetur, cum valido exercitu ingreſſus Galliam, expugnato Remorum oppido, Hugonem

Carolomannus occupat Romanum Imperium. Arnulſus Auguſtus.

Rogatus à Papa ut Romanum Imperium ſibi vindicaret.

Epiſcoporum in Francia Occid auctoritas ſub Andeganenſ. & Burgund. Tyrannis.

Franciæ miſera conditio. Inde Stephano Papæ occaſio ſub pœna excommunicationis ſubditis obſequium imperandi.

Otto M. in Francia Occident. Synodum habet. Epiſcopos excommunicat &c.

nem Epiſcopum expulit, Artaldum reſtituit, ac coacta ſynodo, cui non parvus Germaniæ Epiſcoporum numerus interfuit, interdici Hugoni ſacris ſolemni ritu juſſit. Interfuit Synodo juſſu Ottonis, ejusque auctoritate Luitdulfus, Regis Legatus & Capellanus: geſta Synodi refert Frodoard. *ad. Ann. 946.*

## §. LXXVI.

Cum gens Carolingorum dominatrix extincta eſſet, & Germani ſui juris facti Conradum Francorum Orientalium Ducem Regem ſecereot, hic Ann. *916.*, uti refert Juo *Part. 14. cap. 116.* Concilium Alheimi ſuis auſpiciis habuit, quo præter multa ad ordinem Eccleſiaſticum pertinentia Pontificem ſacris interdicere juſſit duobus Sueviæ Ducibus, qui officium detrectabant *Cauſ.* 18. *Qu. 1.* Atque idem jus ſummum Germanorum Regem circa ſacra, Majeſtatemque in Epiſcopos, Pontificem Romanum tum quidem agnoviſſe, teſtis eſt Epiſtola Nicolai Papæ, quam *ex Baronio ad* Ann. *897.* refert Schilter. *de Libert. Eccleſ. German. lib. 3. cap. 4.* §. 8. ubi admonet Epiſcopos Germaniæ, *ut ſicuti ſubditi Regibus exiſterent, ita videant, ut eo jure Reges utantur ex ſacra juſtitiæ norma.* Henricum deinde Conradi ſucceſſorem hoc majeſtatis ſummæ exercitium, ſumma quoque cura ſervaſſe, teſtantur abunde *Luitprandus Ticinenſis, Witichindus Corbejenſis Monachus, Ditmarus Merſeburgenſis & alii,* qui Henrico Erfordienſi ſynodo egregie Epiſcoporum moribus regulas præſcripſiſſe, modum ſacrorum conſtituiſſe, ſcholas ac Monaſteria ordinaſſe commemorant. Luculentius vero Ottonis jus ac exercitium comprobant. Is enim, cum diu, precibus Joannis Papæ fatigatus, Italiam ac Romam Berengarii ac Adalberti tyrannide liberaſſet, à Pontifice unctus & ſalutatus Imperator, Pontifice urbisque Proceribus ſacramentum exegit, *in fide Cæſaris permanſuros,* nec Adalberti aut Berengarii partibus ſe juncturos *Luitprand. hiſtor. lib. VI. cap. 6.* Peculiare Ottonis jus in urbem Romam vide vindicatum contra Baronium à Conring. *de finib. Imp. cap. 10.* Ex quibus apparet ſummam Ottoni in urbem & Papam JCtionem contigiſſe, adde Schilt. *lib. 2. cap. IV. de L. E. G.* Unde in plenum Caroli M. jus Otto venit, i. e. jus Imperii ac Cenſuræ tam de moribus quam doctrinis Papæ aliorumque Epiſcoporum, uti ſupra oſtendimus, ad quod quoque jus ſemper Cæſares Germanici provocarunt, uti infra videbimus. Atque hoc jus magnifice quoque exercuit Otto. Cum enim ſubacta Italia, urbem Romam in deditionem accepiſſet, Papæ obſequium ſacramenti fide uti ſu-

Conradi Jus Regium circa ſacra,

Agnitum à Romano Pontifice.

Henrici Jus Regium.

Ottonis Jus in urbem ſedemque Romanam.

Digitized by Google

ſupra vidimus, ſibi adſtrinxit. Sed is erat Papæ animus, ut nihil ſanctum, nil religioſum putaret, quod non facile rumperet, ſi lubidini ſatiandæ ſerviret. Itaque ad Adalberti pares tranſiens, ab Imperatore officii & muneris, quod gerebat, ſanctitatis commonefactus obſequium ac morum emendationem promiſit. Namq; ſtuprorum ac omnis generis ſpurcitiei incuſabatur. Admonitus à Cæſare reſpondit: *Haud mirum eſſe, ſi hactenus juventutis igne devictus, quid puerile geſſerit, jam tempus inſtare, quod alieno cuperet vivere more.* Cæſar regeſſit: *Pro correctione, ac morum immutatione, quam promittit, gratias ago.* Illuſtre hoc eſt Cenſuræ exemplum, quod Cæſar in Papam exercuit, quo non aliud clarius reperies. Sed cum vitam Pontifex non emendaret, nec rebellionem omitteret, Otto coacta ſynodo Romæ, in qua ſederunt quoque Epiſcopi Saxones & Franci, Pontifici ſacrum munus ac ſanctum Magiſtratum abrogavit. Quæ cum nunciata Joanni eſſent, reſpondit: *Nos audivimus dicere, quod vos vultis alium Papam facere, ſi hoc facitis, excomunico Vos de DEO Omnipotenti, ut non habeatis licentiam ullum ordinare & Miſſam celebrare.* Sed Cæſar ac Epiſcopi ita: *Excommunicationem veſtram parvi pendemus, eam potius in vos retorquebimus, quoniam quidem juſte facere poſſumus.* Atque ita ejecto Joanne Leo Papa à Cæſare ſurrogatus eſt, quæ omnia ſumma fide refert Luitprand. *Ticinenſ. teſtis αὐτόπτης lib. VI. hiſtor. cap. 6. 7. 8. 9. & ſeq.* apud quem hac de re vide plura, & præcipuè illud, quod Papa fugiente, uterque Romani Populi ordo promiſerit, *ſe, inſcio Cæſare, ac ejus Prole, nunquam Pontificem electurum.* Nec minus in Germania, quam Italia Cenſuræ ſummum officium exercuit. Refert enim inter alia *Witichind. Corbejenſ. ſub fin. lib. II. Annal.* Graviter Cæſarem mores Monachorum inſpexiſſe, *Graviſq;,* inquit, *Monachis perſecutio oritur in diebus illis, affirmantibus quibusdam Pontificibus, melius arbitrari paucos Vita claros, quam plures negligentes ineſſe Monaſteriis oportere --- quo factum eſt, ut plures propriæ infirmatis conſcii, depoſito habitu & relictis monaſteriis, grave onus ſacerdotii evitarent.* De Synodo Auguſtana, quid in ea Otto egerit vid. late Schilter *de L. E. G. lib. 3. cap. 5. & 6.* quæ hic repetere velle, nimis foret prolixum.

Otto jus ſummum Cenſuræ exercet in Papam.

Papam Pontificatu privavit.

Leonem Papam facit.

Reſp. Rom. promittit Cæſari ſe eo inſcio nunquam Pontificem electurum.

Ottonis Cenſura in reliquos Epiſcopos & Monachos.

## §. LXXVII.

Inter ejus poſteros Otto III. illuſtris eſt. Is nempe cum Pontifice Gregorio ac Populo Romano in ſolemni Synodo, ut Germaniæ libertati eo melius conſuleret, eam ſanxit legem, ut qui à Principibus Rex

Ottonis III. Lex Romanis data.

Digitized by Google

Rex Germanorum eligeretur, ſimul ſit Imperator Romanus, quæ latius proſequitur, ac contra Baronium defendit Schilt. *all. loc. lib. 3. cap. 8.* ex quo deinde eleganter hoc concludit, quod ſi jam Pontifex in eligendo Cæſare nihil ſtatuere poſſit, certe eum adhuc minus poſſe in eo abrogando. Adſtruit præter ea rectiſſimè, Ottonem quidem hactenus caute egiſſe, quod formulam regiæ Legis, qua Italia ejusque caput Roma, ac quæ in Republica ſemper eſt, non vero ſuper eam, Eccleſia, quæ paruit Carolingis, & qui in eorum locum ſucceſſerunt, Germaniæ Regibus renovaverit, præcipue cum ſe ἄτεκνον videret, ac animadverteret, Regium decus in aliam gentem translatum iri: Pontificem vero Nepotem ſuum, ac natum Germaniæ civem, æquas conditiones admiſſurum ſperaret, *Chron. Hildesh. ad Ann. 996.* ceterum vero hac lege opus non fuiſſe, nec ea novum jus Germaniæ Regibus quæri potuiſſe, cum Imperii dignitas, ac majeſtas jure optimo armis, ac tot pactis conditionibus à Carolingis comparata, ab Italis ipſis agnita, & ab Ottone M. non in gentiles ſuos, ſed ſucceſſores Regni, quibus Reges ſtipulant, devoluta ſit. Mortuo Ottone, cum regnum Germaniæ una cum Imperio Romano ad Henricum Claudum, Bajoariæ Ducem, perveniſſet, hic multum à priſtina Majeſtate remiſit. Etſi enim referente Ditthmar. *Merſeburg. lib. VI. hiſtor.* Epiſcopum Metenſem coercuerit, quod apud Pontificem Rom. de ſe minus honorifice ſenſerit, apparet tamen ex omnibus hujus Regis geſtis, eum nimium Cleri fuiſſe fautorem, in maximum quidem Imperii detrimentum. Refert enim Glaber Rudolfus *in hiſtor.* Papam Henrico in ſignum Romanæ deditionis globum obtuliſſe, ſuperimpoſita cruce, ut meminerit Cæſar, ſe dignitatem Eccleſiæ ceteris anteponere oportere. Imo idem auctor refert, Decretum Pontificis, quo ſignificat, laudabile eſſe, & honeſtum, ut Papa conſentiat electioni Cæſaris, ne, uti alias factum, tyranni invaderent Remp. Imo Dithmar. *Lib. VII.* commemorat Papam non prius impoſuiſſe coronam Cæſari, quam ſervaturum ſe Pontifici ſua promiſerit. Prætereo Epiſcopatum Babenbergenſem, eique conceſſa officia Imperii, de qua re vid. Freher. *Orig. Palat. cap. 15.* Atque tamen agnovit Pontifex jus Cæſaris in Romam ſummum, cum Benedictus Papa expulſus à Gregorio *Ann. 1012.* ad Henricum, tanquam Judicem ſuum confugeret, ab eoque, ut reſtitueretur, ſubmiſſe peteret *Dithmar. lib. VI. in fin.* Sacerdotum autem luxuriam, neglectam Canonum diſciplinam & doctrinæ perverſam corruptionem ſynodo Tremonienſi *Ao. 1005.* coercuit, & iterum

Henrici Claudi favor in Eccleſias.

Ei Papa globum dat cum cruce.

Papæ decretum, ut conſentiat electioni Cæſaris.

Cæſaris ſacramentum.

Papa tamen Cæſarem Judicem agnovit.

Henrici Cenſura.

alia Synodo Francofurti habita *Ao. 1006.* cui ipſe præfuit, de reformando ſtatu Eccleſiaſtico conſilia iniit, in quem finem cum Roberto quoq; Rege Francorum collocutus eſt, referente hæc *Siegebert. Gemblac. ac Lambert. Schaffnabrug.* Synodum quoque Neomagi habuit, in qua in Sac. Cœna panem ad dextrum, vinum vero ad ſiniſtrum latus poni ſtatuit, cui Epiſcopum privato arbitrio derogare velle, nefas exiſtimat Perſon. *Coſmodr. at. I. cap. 52.* atque Conradum Abbatem, qui hæc & alia immutavit, redarguit. Conradus Salicus Benedictum Pontificem multis flagitiis contaminatum dejecit. Wippo *in Vit. Conrad.* Corruptum Cleri ſtatum, ſimoniam, impotentiam & Hierarchiam ex Petr. Damian. explicat Schilt. *de L. E. G. lib. 3. cap. 11.* late. Gregorium VI. per ſordes factum Pontificem removit Henricus III. atque Suitgerum, Epiſcopum Babenbergerſem, ex gente Equitum Marchicorum de Meiendorff ſub nomine Clement. II. ſuffecit, cui mortuo Popponem Brixienſem Epiſcopum ſubſtituit, & poſt hunc Brunonem Epiſcopum Tullenſem, deinde Geberhardum Eiſtatenſem, qui Victor appellatus eſt Papas conſtituit. *Lamberti Schafnabrug. 1047. Wibert. Archi-Diacon. in Vit. Brunon. ſeu Leon. IX.* In Concilio Rom. *Ann. 1059.* Clerum Romanum à ſimonia purgavit, reverſus in Germaniam, ne quis ſacrum munus emeret, edixit, ſi emeret, honore privaretur, *& Sacris excluderetur. Anno 1059.* Leonem IX. Pontif. Max. Moguntiæ Synodum habere juſſit, cui ipſe præſuit, in qua multa egregia, ad diſciplinam ſpectantia ordinata ſunt, *Ao. 1052.* Manichæos ſupplicio affecit. *Lambert. Siegeb. Gemblac. Trith. in Chron. Hirſaug. Hermann. Contract.*

Et Leges Eccleſiaſticæ. Conradi II. Cenſura. Henrici III. Leges ſacræ. Cenſura in hæreticos.

§. LXXVIII.

Hic velim abrumpere ſtylum cum *Auct. Vit. Henric. IV. in proœm. apud Reuber.* Hactenus enim vidimus Majeſtatem imperii, in Romam urbem Papamque, à Karolo M. jure optimo quæſitam, à Ludovico Pio probe aſſertam, ſub ejus filiis præſertim Lothario, Lotharii Filio, Ludovici Fr. labefactatam, Caroli Calvi ſorditie diminutam, ſed ab Arnulpho primum, deinde Ottone M. magnifice reſtitutam, ab ejusque poſteris præſertim Ottone III. retentam, à Conrado vero II. & Henrico III. maſcule defenſam: ſub horum vero Auguſtorum illuſtri imperio, Pontifices Romanos, Clientes, ſubditos, ſupplices, interdum tollentes caput, ſed depreſſos iterum & coercitos. *Nunc vero*, uti pergit, *Auct. Vit. Henrici IV. in proœm: ventum eſt ad factiones, ad fraudes & ſcelera, de quibus vera ſcribere* (auctoris ſeculo) *periculum, falſa,*

Calamitas Imperii ſub Henrico IV.

*cri-*

*crimen eſt: hac lupus* (Romanus) *hac canis urget.* Mortuo Henrico III. Henricus IV. puer adhuc ſucceſſit. Ut ſolet accidere in eo regimine, multi multa ſibi ſumunt, quæ deinde Regi imputantur. Mater, Tutores, Præceptores, & regnum, & regia jura turbant. Erat Henricus IV. in tuitione Agnetis Matris, è qua eum extorſerunt Anno Colonienſis & Adelbertus Bremenſis Epiſcopi, ille Vir raræ prudentiæ, hic verſutiſſimi ingenii & imperandi cupidiſſimus, Vicarius per Germaniam Pontificius, & qui hoc titulo cum Wernero Comite non mediocrem in Imperio tyrannidem exercebat, uti de eo ſentiunt *Adam Brem. hiſtor. Eccleſ. paſſim & Lambert. Schaffnab. Chron. Magdeburg. apud Meibom. tom. 2. ſcript. Germ. pag. 288.* à quibus, ut ſpeciatim Lambertus adnotat, omnia emi poterant, omnia pecunia gerebantur, quæ deinde, uti audiemus, Cæſari imputata ſunt: Cauſam, quare Adelbertus educationem pueri ſibi ſoli vindicaverit, *ex Schaffnaburg. Anno 1063.* recitat Schilter. *de L. E. G. lib. IV. cap. I.* quod Agnes Imperatrix electioni Papæ Stephani aſſentiri nollet, unde facilius ſibi negotium exiſtimantes Romani, ſi cum Cliente ſedis ipſius rem haberent, incitarunt Adelbertum ad plagium Imperatorii pueri. *Poſtquam* vero *Rex puer* ita ait, *Auct. Vit. Henr. IV. de ſinu matris abſtractus in manus Principum nutriendus venit, quidquid illi præſcribebant faciendum, ut puer fecit. Quem volebant, exaltavit, quem volebant, depoſuit, ut Regi ſuo non tam miniſtraſſe, quam imperaſſe merito dicantur.* Primum quæſtuoſi Adelberti miniſterii fructum tulit Henricus, quod Alexander II. ſine auſpiciis Cæſaris Papa à Romanis conſtitueretur. Ad quam electionem infringendam, cum Anno Colonienſis Epiſcopus in Italiam mitteretur, ac Papæ objiceret, uti tradit *Nicolaus Arragonius in Geſt. Roman. Pontif. apud Baron 1064. Qua ratione frater Alexander absq; mandato & Aſſenſu Domini mei Regis recepiſti Papatum, à longis namq; temporibus, à Regibus hoc absq; dubio eſt obtentum,* atque id, ut idem refert Cardinalis, à primis Romæ Patriciis ad ſeculum usque Henrici demonſtraret: Hildebrandus (qui olim Cæſaris Præceptor viſus erat in ſomniis Cæſari bicornis, ſe in cœlum rapere, ac in abyſſum dejicere, ideoque eum Pater Henricus perdere conatus, ejus indignationem ægre effugit, jam vero Papæ erat Cancellarius) Canonum auctoritatem & Nicolai, neſcio, quam ſanctionem cauſatus, quæ Laicorum in electione Pontificis conſenſum omnem ſuſpenderent, atque ita factum, ut Cæſar videns, ſe fruſtra majeſtatem oppoſiturum, quæ ludibrio exponi poſſet in re non amplius integra, electionem probaret, quo

Origo calamitatum.

Adelberti tyrannis.

Alexander II. juſſu Cæſ. Papa factus. Ejus Pontificatum impugnat Cæſar.

Hildebrandi Reſponſio.

Cæſ. probat tandem electionem.

Hildebrandus inauſpicato Papa factus. Saxones à Cæſare alienati.

quo poſtea exemplo incitatus Hildebrandus, non ſalutato Cæſare, ſedem Romanam invaſit Onuphr. *in Vit. Gregor. VII.* In majus diſcrimen detulit Cæſarem Saxonum dubia fides. Hos à ſe averterat Cæſar, cum nimis aperte Suevis ſtuderet; cumque frigidos eorum vultus moderari prudentiæ fuiſſet, ipſe frigidam ſuffundens, quaſi pro Imperio rem agere poſſet, Ottonem natum Saxoniæ Ducem, Ducatu Bavariæ ſpoliavit, eumque Welphoni Suevo tradidit. Hæc tuba belli *Lambert. Schafnab. Anno 1073. & ſeq. Chron. Magdeb. ap. Meibom. tom. 2. ſcript. German. p. 288. & ſeq. F. Heinr. Bodo Syntagm. de Conſtruct. Cœnob. Gandes. pag. 503. Auct. belli Saxon. ab init.* Accedebat, quod Cæſar in finibus Saxoniæ caſtella, interque ea munctiſſimum Hartesborg exſtrueret, quod libertati ſuæ inſidias ſtruere credebant Principes. Hinc querelæ, mox valida factio, & exinde bellum. Coierunt inter ſe Wizelo Magdeburgenſis, Bucco Halverſtadienſis, Otto Dux, Magnus Dux, Uxo Marchio, Pater Hunonis Comitis Oldenburgenſis, & alii. In ſocietate Regis erat præter alios Rudulphus Suevus. Ventum prope Unſtroth ad prœlium, remiſſo prælio Saxones incauti obruuntur, ſimulato pacis negotio ſe fidei Cæſaris tradunt, qui Magnum Ducem & alios Saxones in cuſtodiam dat. Ex qua liberati rem deferunt ad Pontificem. *Auct. bell. Saxon. Auct. Vit. Henric.* Bodo *Syntagm. all. loc. Joh. Schiphower. Chron. Oldenb. pag. 134.* Factionis initium pulcre tradit *Chron. Magdeb. p. 294.*

Bellum Civile.

Saxones rem Pontifici defert.

## §. LXXIX.

Pontifex tum erat Gregorius VII. qui ex ultima plebe per inſignes artes, perque multos dignitatem gradus ad ſupremum Eccleſiæ Regnum adſcenderat, quod hic in dominatum convertere apud animum ſuum conſtituerat. Jam enim ſub Paſchali, quis ei ſit de Hierarchia ſenſus, ſatis aperuerat, & declarant, quas ad dictatum ſtabiliendum, deinde vulgavit opiniones, inter quas hæ præcipuæ: *ſolius Papæ majeſtatem pendere à nemine, niſi à DEO, ejus arbitrio ſubeſſe Imperium.* Jam omnia arridere ſibi ad perficienda ea, quæ animo conceperat, videbantur. Turbata Germania, Saxonum ab Imperatore defectio, nec Suevorum ſatis tuta fides *Berthold. Conſtant. Annal. ad Ann. 1073.* multorum quoque Epiſcoporum, quos impotentia Adelberti, ac per eum Cæſaris coercitio alienaverat, in Cæſarem odium. Itaque recte ait, *Auct. Vit. Henric.* cum Saxones ita accuſaſſent Cæſarem: *Non decere tam flagitioſum plus notum crimine, quam nomine regnare: maxime cum ſibi regiam dignitatem non contulerit: oportere Romæ ſuum jus in conſtituendis Regibus reddi: Providerent Apoſtolici, & Roma ex conſilio Principum, cujus vita ci-*

Hildebrandi Dictatus.

SaxonesPontifici addunt Spiritus.

Digitized by Google

*& ſapientia tanto congrueret honori* : Pontifici natam ſpem conſtituendi, removendi, ac devovenui Cæſarem, atque ex execratione magnum creſcentis potentiæ emolumentum capiendi, eam lubenter arripuiſſe: *qua ſurreptione* (pergit Auctor) *deluſus Apoſtolicus ſimul & honore creandi Regis, quem ſibi fallaciter obtulerant impulſus, Regem banno innodavit, & Epiſcopis aliisq; Regni Principibus, ut à communione excommunicati Regis ſe retraherent, denunciavit: ſe cito venturum in Teutonicas oras, ubi de negotiis Eccleſiaſticis & potiſſimum de regno tractaretur.* Brevis eſt, *Auctor Vitæ Henrici IV.* in hoc proceſſu, quaſi invitus ad tradenda hæc rapiatur, honori Cæſaris parſurus. Capita accuſationis Saxonum fuerunt, quod *Simoniam exerceret, Epiſcopos uxorios toleraret, alios captivos teneret, alios vero devotos haberet amicos, uxorem publice aliorum lubidini proſtitueret*, quæ vid. apud *Otton. Friſingenſ. lib. VI. cap. 34. & 35.* Lambert. *Schafnaburg. ad Ann. 1075. Schiphower. in Chron. Oldenburg. p. 134.* Ea de re Hildebrandus ſtatim edidit decretum cum clauſula, ut loquimur, de liberandis Epiſcopis, relinquendis interdictis, & eventuali citatione Cæſarem ad Synodum Romæ habendam citavit, ni faceret imperata, aut compareret, devovendus *Lambert. all. loc. Auct. bell. Saxon.* Qui hunc modum citandi Cæſarem Romanum caput orbis Chriſtiani, ac Principem Regemq; Pontificis Romani adhuc ſub Henrico III. Patre agnitum, ut inauditum, inſolitum, ſceleratum damnant cum *Ottone Friſing. lib. VI. cap. 34. & Abb. Urſperg. ad Ann. 1073.* quo eadem citatio ab Alexandro jam, incitante Hildebrando, evulgata erat. Cumque adeo Imperator indigne ferre hanc Pontificis audaciam deberet, *Ao. 1076.* Wormatiam Comitia indixit, quorſum nobilis Ordinum multitudo confluxit. Coram illuſtri hac Civium Corona Imperator, quam indigne de Majeſtate Imperii ſentiret Hildebrandus, quam inverecunde ipſum Caput invaderet, expoſuit, effecitq;, ut plurima pars Hildebrandum Pontificatu indignum eſſe pronunciaret, eumque ſe ſacro Magiſtratu abdicare juberet. *Lambert. Schafnaburg. ad Ann. 1076. Auct. Vitæ Henric. pag. 186.* Baronius quidem *ad all. Ann.* Comitiorum ac abrogationis judicium traducit, quaſi ineptum ſit, Pontificem ſummum removeri ab inferioribus, deinde plurimos contradixiſſe, poſtremo, qui ſignaſſent remotionis decretum, id ſuppliciter revocaſſe apud Pontificem. Sed id verum non eſſe patet ex *Lambert. all. loc.* & *Gobelin. Perſona Coſmodr. æt. 6. cap. 55.* (ibi Epiſcopi: *obedientiam, quam Tibi nullam promiſimus, renunciamus*) qui refert, præter Saxones, omnes Imperii Ordines in Comitiis præſentes fuiſſe, omnes ſignaſſe Decretum, nec quenquam exculpaſſe ſe apud Papam, præter Salzburgenſem, Petavi-

Capita accuſationis.

Papa Cæſarem citat Romam.

Ea citatio nefaria Scriptoribus.

Ordines Imperii Hildebrandum à pontificatu ſe demittere jubent.

Confutatur Baronius.

enſem, Wurtzburgenſem, Metenſem & Friſingenſem, præter quos & ipſe Baron. *ad all. Ann.* neminem citat. Atque Lambertus diſerte aſſerit, qui ex his remotioni Papæ contradixerunt, non ex ea ratione contradixiſſe, quod Papa non removeri omnino poſſet, qui enim poterant de ea re dubitare, cum Henricus III. recenti & noviſſimo exemplo Gregorio VI. abrogaſſet Pontificatum, atque id exemplum ſolum ſatis comprobaret, niſi leges, pacta, & præſcriptio extarent, Cæſaris & Imperii ſupremum in Romanum Præſulem jus: nec ante dictatum Hildebrandinum de Romani ſacerdotis poteſtate à nemine pendente unquàm aliquid auditum eſſet: ſed dubitaſſe ſaltem, inauditum Reum damnare. Interim cauſæ remotionis ex Epiſtola Henrici, quam miſit Gregorio apud *Reub. annexam Auct. Vit. Henr.* & Schilter. *de L. E. G. lib. 4. cap. 3.* apparent ſat illuſtres: ſufficit enim, opinor, ad removendum primum Oratorii Regii Miniſtrum, *contra Regiam*, ut ait Cæſar, *poteſtatem inſurrexiſſe, eam aufferre tentaviſſe: quaſi à Papa non à DEO Cæſar haberet regnum, ac in ejus non DEI manu eſſet Regnum vel Imperium.* Si nihil amplius commiſiſſet Pontifex, quam hæc cogitare atque ſcribere, reus factus eſſet ſine dubio Majeſtatis læſæ. Iterum in *alia Epiſtola apud Reub.* luculenter demonſtrat Cæſar, Imperatorem Romanum ſacerdotis ſui primi Ordinis in nulla re, quam ſi forte à fide aberravit, (dandum hoc eſt ſuperſtitioni illius ſeculi) judicio ac cenſuræ ſubmitti ſine ſcelere poſſe: Quæ retinuit & amplius defendit *Aut. Apolog. Henric. IV.* ubi ait talia meditari, videri è regno Anti-Chriſti. Atque cum tamen Papa nihilominus ſine exemplo Majorum, ſi exemplum Lotharii excipias, qui tamen non fuit Imperator, contra Canones, divina humanaque jura, Cæſarem devoveret, imo & ordines ac ſubditos ſacramenti religione exſolveret, ordines, præſertim Latini, Papam iterum inferis tradiderunt *Ao. 1080.* Crimina, uti recenſet *Abb. Urſperg. ad h. ann.* fuerunt. *Conſilia violenta, in ipſam S. ſedem & Imperium, Negromantia, ſiniſtra de S. Cæna opinio* *Auct. Vit. Henric. p. 186.*, quod ſedem abjuratam vi invaſerit. Ait *Auct.* ſe in medio relinquere, ſi id verum ſit. Romam utrobique eſſe argumentum, eſſe enim ſanctam mundi Dominam, eſſe & ancillam cupiditatis, quæ ob pretium omnia admittat. Schilt. *lib. 4. cap. 3. §. 15.* inter hæreſin Hildebrandinam quoque, & quidem jure, refert Dictatum, exutum erga Imperium obſequium, ac conceptum in illius Caput, ac patratum quoque Execrationis ſcelus. Quid enim magis hæreſis meretur appellari, quam opinio, quæ S. Scripturæ directo contraria eſt: Quid magis contrarium, quam devovere Regem, quem debebas revereri ac honorare. Quid vero ſenſerint de hac Pontificis

Cauſæ remotionis Hildebrandi.

Hildebrandus Anti-Chriſtus.

Ordines præſertim Latini excommunicant Papam. Cauſæ excommunicationis.

Hæreſis Hildebrandina.

Digitized by Google

ficis audacia Viri Cordati, patet ex *Auct. Vit. Henric p. 185. Quod factum,* inquit, *multis diſplicuit (ſi cui diſplicere licet, quod Apoſtolicus fecit) & aſſerebant, tam inefficaciter, quam illicitè factum, quod factum eſt. Sed non auſim aſſertiones illorum ponere, ne videar cum eis Apoſtolici factum revellere.* Liberius *Otto Friſing. lib. VI. cap. 35. Lego & relego Romanorum Regum & Imperatorum geſta, & nuſquam invenio, quenquam ante hac à Romano Pontifice excommunicatum, vel regno privatum.* Schiphower. *in Chron. Oldenburg cap. 4. p. 138. apud Meibom. tom. 2. Script. German. ita: Fuit autem Eccleſiis admodum bonus* (Cæſar) *his videlicet, quas ſibi fideles perſenſit. Porro Romanum Antiſtitem, Gregorium & ceteros inſidiatores honoris; ſicut infeſtos habuit, ita etiam infeſtare ſtuduit. Quis enim vel minimam honoris ſui jacturam æquanimiter ferat? legimus, quia multi peccarunt, quibus tamen ſubventum eſt pœnitentiæ remedio. Certe David peccans & pœnitens, Rex & Propheta remanſit. Rex autem Henricus, ad veſtigia Apoſtolorum jacens, orans ac pœnitens, gratis peſſundatus eſt, nec invenit tempore gratiæ, quod ille obtinuit duro legis tempore.* Addit Romanam ſedem luere adhuc eam ſtultitiam. *A tempore enim illo* (hæc adjicit) *quotquot regnant de ſtirpe illa, omnibus modis nituntur humiliare Eccleſias, ne reſumant vires conſurgendi adverſus Reges, nec inferre, quæ intulerent Patribus eorum. Ao. 1085.* in Concilio Quedlinburgenſi, Gunibertus Clericus Bambergenſis, cum de poſtulatis Pontificis ſermo eſſet, in medium proſiliens, ait, Pontificem, quæ poſtularet non hereditario jure accepiſſe, ſed nefarie ſibi ſumere *M. A. de Domin. lib. 4. c. 8. §. 18.* atque plurimos Epiſcopos ſumma cum fide Cæſari in dubiis ac diverſis rebus adhæſiſſe certum eſt. De Liemaro Bremenſ. teſtatur *Wolter. in Chron. Brem. p. 47.* Wilhelmi Trajectenſis Epiſcopi conſilio Henricus furorem Hildebrandi ſprevit *Chron. Magdeb. p. 306.* Strazeburgenſis Epiſcopi fidem laudat *Chron. Oldenb. cap. 4.* Imo Benno Cardinalis *Archi-Presbyter in vita Hildebrandi ap. Chron. Spirenſ. c. 35. lib. 5.* Papam vocat *Judicem perverſorem,* ejusque ſententiam *injuriam, ac violentiam, & alio loco:* Præter voluntatem & conſilium Cardinalium, citra ordinem Canonum, Cæſari ſacris interdictum, nullum Cardinalium decreto ſubſcripſiſſe, ac addit: ſingulari omine, cum ſe levaſſet Papa de ſede, ſellam in minutas partes ruiſſe, quaſi periculis ac ſchiſmatibus ex hac execratione Romanæ ſedi ſubituris claſſicum caneretur. Atq; cum, Rudolpho Suevo ſuffecto à quibusdam Anti-Cæſare, à Saxonibus Papa in partes Suevi ſollicitaretur, atque is dubios rei eventus metuens, ſuſpendere ſuffragium ratum crederet, ſe de re cogniturum reſcripſit, quam vero frigidam reſponſionem Saxones ægre ferentes, retulerunt: *De Henrico devoto jam nullam cauſæ cogni-*

Scriptorum ejus ſeculi de Excommunicatione Cæſaris Opinio. Auct. Vit. Henric. Otton. Friſingenſis. Auct. Chron. Oldenburg.

Guniberti Clerici Bambergenſis.

Wilhelmi Epiſcopi Trajectenſis. Bennonis Cardinalis.

Ipſorum Saxonum.

gni-

*gnitionem ſupereſſe, aut certe diffidere ipſum Pontificem juſtitiæ cauſæ, quod Henrici Proceſſum ad maturam cognitionem revocare vellet.* Ita vero ſat clare objurgabatur Papæ, eum ipſum fateri, Henrico injuriam factam.

§. LXXX.

Henricum IV., uti Conradus filius, inſtigatus à Mathilde Regno ſpoliare tentaverat, ita ſpoliavit alter filius Henricus V. à Pontifice, aliaq; alienatorum turba incitatus *Auct. Vit. Henr. Auct. bell. Saxon.* Hunc itaq; Pontifex ſuis partibus ſtudentem credebat, cujus ſcilicet maxime ſuorumque artibus vivo adhuc Patre regnum obtinuerat. Itaq; quod vi clam & precario Paſchalis & Gregorius uſurpaverant, ut Romanus Pontifex Inſtitutioni, & Cenſuræ, & Imperio Imperii, ac Cæſaris eximeretur, id non ſaltem ſuo calculo atque exemplo probavit Paſchalis, Gregorii poſt Victorem & Urbanum ſucceſſor, com inauſpicato ſedem invaderet, ſed & longius progreſſus, ab Henrico, cum Romam veniret, poſtulavit, ut ſibi ſacramentum præſtaret, ſe in fide Eccleſiæ Catholicæ manſurum, atq; ut ſacrorum ſacerdotum inſtitutione abſtineret, ſatis importune rogavit. Quam rem ægre ferens Imperator, aſſerens, Cæſarem nemini jurare, ſed ab omnibus ſacramenta exigere, *Chron. Ar bi-Com. c. 4.* Paſchalem in cuſtodiam miſit, nec prius liberavit, quam jus Imperii in omnes Epiſcopos, ſeque ejus Clientem agnoſceret, *Sigeb. Gembl. Abb. Urſperg. ad Ann. 1111. Chron. Archi-Com. all. loc. Chron. breve Stederburg. apud Meibom. tom. I. Scriptor. Germ. ad Ann. 1112.* quod hoc pactum vocat fidei Eccleſiaſticæ contrarium. Atque referunt iidem Annal. Adelbertum Mogontiæ Epiſcopum, Archi-Cancellarium Imperii, tum primum ſe oppoſuiſſe Pontificis poſtulatis, atque, uti Archi-Epiſcopus Trevirenſis jam tum in Conventu Catalaunenſi fecerat, jura Imperii magnifice defendiſſe, *ac negaſſe Cæſarem Teutonicum remittere ſine diminutione Majeſtatis inveſtituras poſſe, accipere eum Imperium oportere ea formula, qua Carolus M., Ludovicus Pius, & Otto M. acceperunt.* Sed idem Adelbertus Moguntinus non perſtitit in fide, quin alienatus à Cæſare, incitante Papa, tranſiit ad Saxones, gentem Francorum potentiæ jam diu invidam. His præerat Luderus ſeu Lotharius, quem ex Arnſpergica Comitum familia ad Ducatum Saxoniæ provexerat Cæſar, olim ſibi, ob præſtita contra Patrem officia, eximiè carum. Quem quidem Albertus, Cleris plus juſto faventem, facile in obſequium Romanæ ſedis pertraxit. Cujus auxilii fiducia fretus Paſchalis, coacta Romæ Synodo *Ao. 1112.*, quam magnificè olim Gregorius de Hierarchia, ac libertate Romanæ ſedis ſenſerit, quam indecorum exiſtimaverit, beneficia eccleſiaſtica, ſacerdotibus à Laicis conferri, (publicaverat is hanc ſententiam, *Anno 1078.*

Paſchalis impudens poſtulatum.

Ut inveſtituris Epiſcoporum ſe abdicaret.

Cæſar Papam Majeſtatem imperii agnoſcere cogit.

Poſtulatum Pontificis contra Majeſtatem Imperii cenſent Ordines.

Digitized by Google

*1078. & 1080. Baron.*) quæ extent Romani Pontificis in Henricum V. beneficia, quam ingrate iis uſus, quamque ferociter ſe erga Romanum Sacerdotium populumq; geſſerit, longa Oratione propoſuit, ac videns ſacerdotes ſibi favere, Cæſarem devovit *Urſperg. ad Ann. 1112. Chron. Archi-Com. cap. 4.* Moguntinus in Germaniam ſententiam interdictoriam publicaturus miſſus eſt. Hunc Cæſar in cuſtodiam dedit, ſed bellum tamen civile avertere non potuit, cujus tædio tandem victus Imperator *Ao. 1122.* in Comitiis Wormatienſibus Cæliſto Papæ (quem ac ejus Anteceſſorem Gelaſium Romani contra Majeſtatem Cæſaris, qui mortuo Paſchali Burdinum Papam fecerat, intruſerant) Inveſtituram cum baculo & annulo reſignavit, quod jus tanto tempore Teutonum Reges exercuerant, quodq; Cæſar, non niſi cum vita ſe depoſiturum juraverat, uti ait, *Abb. Urſpergenſ. ad Ann. 1122.* Inveſtituram ſecularem ſibi ſervavit Cæſar Otto Friſing. *lib. 7. c. 16.* electio populo conceſſa. Otto Friſing. *all. loc.* Leuvold à Northof. *Chron. Com. à Marca. p. 383.* Gobelin. Perſon. *Coſmodrom. at. 6. c. 58.* Formulam ceſſionis vid. apud Schilt. *de L. E. G. lib. 4. c. 4.* & in *J. P. tom. 2.* Quid poſt eam ceſſionem Cæſari reliquum ſit in Romam, de eo vid. Conring. *de Finib. Imper. c. 11. & reliqu.*, & *in diſſert. de Conſtit. Epiſc. German. 57. & 94.* Jamq; videbatur actum, cum Majeſtate Imperii, cum adeo non tantum Pontifex Romanus obſequium exuiſſet, ſed Epiſcopos quoq; Germanos Cæſaris devotioni, quoad Eccleſiaſtica ſubtraxiſſet, præſertim cum Lotharius, nimium quantum ancillaretur Innocentio Pontifici ac indecoro habitu Coronam ſibi imponi paſſus eſſet, quam inaugurationem de ſupremo Romæ in Imperium arbitrio teſtantem Papa depingi curaverat: unde verſiculi

*Papa Cæſarem devovet.*

*Cæſar Papæ Inveſtituram cum baculo & Annulo reſignat.*

*Lotharius ancillatur ſedi Roman.*

*Rex venit ante fores, jurans prius urbis honores,*
*Poſt homo fit Papa, recipit quo dante coronam.*

*Urſperg. ad Ann. 1133.* Qua ratione ad illud faſtigium progredi Pontifex cupiebat, ut jam non ſolutus tantum Imperii obſequio, ſed Imperium quoque beneficii jure dare Cæſaribus velle videretur. Juvabat voluntatem Conradi III. ſocordia, qui, etſi ab Arnoldo Brixienſi Imperii dignitas defenderetur ſcriptis, ac ipſe ad tuendum Romæ & Pontificatus Imperium à Senatu populoque Romano, plus una vice evocaretur, non tamen commoveri poterat, ut oblatum Imperium digne tueretur Otto Friſing. *l. VII. c. 41.* Arnoldus autem Brixienſis, à Brixia patria dictus, auditor Abælardi Britanni, ut poſt *Ottonem Friſing*, docet Spigel. *ad Gunther. Poet. Ligurin. lib. 3. pag. 322. apud Reub.*

*Papa audet Imperium habere pro beneficio ac feudo.*

*Conradi III. ſocordia.*

*Arnoldi Brixienſis de Majeſtate Imperii opinio.*



Digitized by Google

-- -- -- *Monachorum acerrimus hoſtis*
*Pontifices, ipſumq; gravi corrodere lingua,*
*Audebat Papam* -- -- -- --
*Nil proprium Cleri, fundos, & prædia nullo*
*Jure ſequi Monachos, nulli fiſcalia jura*
*Pontificum, nulli curæ popularis honorem,*
*Abbatum, ſacras referens concedere leges.*
*Omnia Principibus terrenis ſubdita, tantum*
*Committenda viris popularibus atq; regenda,*
*Illis primitias, & quæ devotio plebis*
*Offerat, & decimas caſtos in corporis uſus.*
*Non ad luxuriam, ſive oblectamina carnis*
*Concedens, mollesq; cibos, cultusq; nitorem,*
*Illicitosq; jocos laſcivaq; gaudia Cleri,*
*Pontificum faſtus, abbatum deniq; laxos*
*Damnabat penitus mores, Monachosq; ſuperbos.*

Ob hanc doctrinam, uti Henricus Cæſar, quod inveſtituram Epiſcoporum mittere è manibus nollet, hæreticus damnatus erat, unde hæreſis Henriciana, ita Arnoldus pejor quoque hæreticus, quod Monachos Ducatus, Comitatus aliaque prædia fiſcalia poſſidere poſſe negaret, primum Tigurum commigrare coactus, deinde libros ſuos igni tradere juſſus, quod tamen non effecit, ut diſcipuli ab eo deficerent, uti refert ex *Æmil. Veronenſ. Spiegel. ad Gunther. Ligur. all. loc. quem omnino confer.* demum Concilio Lateranenſi damnatus & (turpe dictu) ferente hoc Cæſare crematus eſt *Ao.* 1155.

*Veraque multa quidem, niſi tempora noſtra fideles,*
*Reſpuerent Monitas.*

*Otto* quidem *Triſing.* ei alia hæretica imputat, ſed non, quæ ſpeciatim fuerint, refert: *Baronius* autem ejus doctrinam hæreſin Politicam ſaltem nominat, ex quo conſtat, non eum alia ſcripſiſſe, quam quibus creparet mores perverſos Monachorum. Equidem Ligurinus ait, eum mortuo Innocentio, cum Eugenius Papa ſummas teneret, rediiſſe Romam, ibique antiquã Reipubl. formam ſub Dominatu Papæ gementem reſtituere voluiſſe,

-- -- -- -- *Nil juris in hac re*
*Pontifici ſummo* -- -- -- --

Vindicatus contra Ligurinũ Poetam. relinquentem. Sed quod pergit, Arnoldum commoviſſe Senatum ac plebem, in Regem quoque, ac Tribunorum & plebis ſummum Im-

Imperium reſtaurare voluiſſe, id refutat Otto Friſingenſis *lib. 1. de rebus geſtis Frideric. cap. 27. & lib. 2. hiſtor. cap. 20.* qui diſertis verbis ait, Senatum ejus Oratione ita commotum fuiſſe, ut inde ſtatim Pontifici impotentiam primum, ac tranſitos ab ipſo ſacerdotii limites, objurgaviſſet, mox ad ipſum Conradum litteras ſcripſiſſet, quas etiam late refert, quibus ad capeſſendum ſummum Imperium, ac reducendum Papam invitaretur. Sed uti diximus, non poterat evigilari Conradi jacens animus: qui illectus Papæ bonis verbis neglexit occaſionem vindicandi Imperium urbis ac Italiæ non cito redituram.

## §. LXXXI.

Creverunt Pontifici ſpiritus, cum videret languere adeo Cæſares. Quare cum mortuo Conrado Fridericus ad Imperium perveniret, Pontifex M. Adrianus in litteris ad Cæſarem datis non ſaltem præponere nomen ſuum nomini Cæſaris, ſed & inaugurandi Cæſarem, morem ac ceremoniam beneficium appellare auſus eſt, quod vocabulum ea ætate pro feudo ſumtum eſt. *Otto Friſing. de reb. geſt. Frider. lib. 1.* Radevic. *Rer. Ænobarb. lib. 3. cap. 9.* Imo cum Legati Pontificis Bernardus & Rolandus poſtea Alexander III. ad Cæſarem venirent, atque lecta Epiſtola Cæſar reſponderet: *à ſolo DEO habemus Coronam Imperii, non Romano Pontifici, ſed ſoli DEO attribuimus. Primam vocem electionis Regiæ, Archi-Epiſcopo Moguntino recognoſcimus, regalem Conſecrationem Archi-Epiſcopo Colonienſi permittimus, Imperialem Conſecrationem Romano Pontifici aſſignamus:* poſt *Ottonem Friſing. & Radevic. Gobelin. Perſon. Coſmodr. ⁊t. 6. cap. 60. princ.* Legati vero Pontificii inconſiderantius regerent: à quo igitur Teutonicus Imperium habet, ſi non à Papa habet: Vix temperari à Cæſare Otho Palatinus Comes præſens tum forte potuit, quin trucidaret, aut ſumma injuria afficeret Legatos Radevic. *all. loc.* Jubebat itaque Cæſar picturam tolli, ſcribendi ordinem corrigi, niſi vellet concordiam omnem inter Regem ac Sacerdotem rumpi, addens, *aut Papam debere obſervare ſuorum Anteceſſorum ad perſonam imperialem ſcribendi conſuetudinem, aut ſe ipſum antiquorum Principum morem in ſuis Epiſtolis oportere obſervare:* jubens notarios ſuos, *ut in ſcribendis litteris nomen ſuum præferrent, Romani Epiſcopi poſtponerent & dictionibus ſingularis Numeri eum alloquerentur Tu Te.* uti ex *Radevic.* refert *Spiegel. ad lib. IV. Ligurin. Poet. pag. 418. ap. Reub.* Inſerviendum adhuc tempori ratus Papa, reſpondit: *Occaſione cujusdam verbi, quod eſt beneficium, Tuus animus, ſicut dicitur, eſt commotus, quod utiq; ne dum*

Adriani Papæ inſolentia Imperium appellat beneficium.

Papa Opinionem ſuam revocat.

*tanti Viri, ſed nec cujuslibet minoris animum merito commoviſſet: Licet enim hoc nomen, quod & beneficium apud quosdam in alia ſignificatione, quam ex impoſitione habeat, ſumatur: tunc tamen in ea ſignificatione, ſumendum fuerat, quam nos ipſi potuimus, & quam ex inſtitutione ſua noſcitur retinere. Hoc enim nomen ex bono & facto eſt editum, & dicitur beneficium apud nos non feudum, ſed bonum factum.* Tamdiu tamen Papa artibus ac diſcordiarum alimentis circumegit Imperatorem, præſertim cum Alexandri Pontificatum irritum reddere ſubſtitutis aliis atque aliis non poſſet, ut tandum, uti ex *Romualdo Epiſcopo Salerm. Legato Regis Siciliæ*, qui negotio interfuit, refert *Chron. Spirenſ. L. 5. cap. 56. & ex Chunradi Epiſcopi Chron. Spigel. ad lib. 10. Ligurin. Poet. 434.* poſt longas ambages inter Cæſarem & Alexandrum pax iſtis conditionibus fieret, ut Alexander exauctoratto Caliſto verus Pontifex haberetur. In ea pace Moguntinus & Magdeburgenſis Epiſcopi teſte Trithem. Chron. Hirſau: egregiam operam navarunt. Cæſar ſalutaturus Papam ſe ad terram usque demiſit, unde illa fabula Regem calcatum pedibus, quam confutat Spigel. *all. loc.* De qua nempe toti tacet Platina & alii Pontificii, non omiſſuri rem ad Majeſtatem Papæ apprimè ſpectantem, ſi ita accidiſſet.

Papa Cæſari reconciliatur.

## §. LXXXII.

Rem tamen fecit Cœleſtinus ſub Henrico VI. non minus turpem ſi *Gothofr. Viteb. & Baron. ad Ann. 1190.* credimus, cum coronam Cæſari impoſitam retruſerit pedibus, quaſi ſibi dandi demendique Regnum poteſtas competeret. Poſt diſceſſum Henrici inter Ottonem & Philippum de Imperio contentiones fuerunt. Ottonem Innocentius Papa coronavit, ac Epiſcopum Colonienſem ad Philippum tranſeuntem diris devovit, *vid. Apolog. Otton. IV. apud Meibom. tom. 3. Script. Gorman.* Fridericum II. Henrici VI. Filium Ottonis IV. Succeſſorem Honorius & Gregorius IV. Pontifices à ſacris excluſerunt. Cauſas hic allegare, nimis foret longum. Sufficit Cæſarem hanc interdictionem parvi æſtimaſſe, imo poſt primam interdictionem cruentam paraviſſe vindictam, atque referente Mutio *lib. 2.* minitatum eſſe, *ſe purgaturum Eccleſiam Petri injuſtis invaſoribus, quiq; Apoſtoli veſtigia legere contemnerent.* Altera vice iram Papæ pecunia temperavit Gottfr. Mon. *ad Ann. 1230.* tertiam ferro recidit. *Id. ad Ann. 1241.* Innocentii IV. bannum contemſit, atque ita „confutavit, concedi poſſe, Papæ jus eſſe peccatores abſolvere & li„gare, ſed neutiquam concedi nec probari poſſe, Papæ Cæſari impe-

Eviluit excommunicationis terros ſub Friderico II.

Friderici II. de Banno Eccleſiaſtico ſententia.

„rium

Digitized by Google

ium abrogandi competere poteſtatem. Aliud dicere S. Scripturam," liud loqui Canones, aliud teſtari Cæſarum à Caroli M. ævo exempla." ıd Papam non pertinere, Imperatorem vel inſtituere vel deſtituere," ed electum à Principibus, coronare " *Abb. Stadenſ. ad Ann. 1245. Petr. e Vineis lib. 1. Epiſt. 31. & ſeq.* Claudit Comœdiam Ludovicus Bavarus, cujus vita peculiarem diſquiſitionem mereretur. Sed cum noſtra iſſertatio jam tum limites pene Academicæ Commentationis exceſſeit, ſufficit dicere, cum Joannes XXII. eum *Anno 1324.* Avenionis devoveret, ac ſperaret hoc fulmen id effecturum, quod priorum Ponificum interdictio fecerat, nihil tamen eò minus accidit. Namque auci ab obſequio Cæſaris ſe ſepararunt. Benedictus vero XII. ejus ucceſſor publice bannum Joannis injuſte ac contra Canones pronuniatum eſſe declaravit, Rebdorf. *in Annal. ad Ann. 1384.* quidquid veo Cæſar contra eum feciſſet, provocatum feciſſe uti ex *M. Albert. hron. Spirenſ. lib. VII. cap. 16.* Clemens VI. qui Benedicto ſucceſſit Reis Francorum Cliens Cæſarem citavit & ita devovit, ut ſtatim Electoes alium Cæſarem eligere juberet, ni facerent, ſe daturum alium Imerio ediceret *Rebdorf. Gerbard. de Roo lib. 2. Albert. ad Ann. 1364.* Atue tandem multis clamoribus partim corruptionibus effectum, ut Caolus IV. deinde Rex Romanorum ſubſtitueretur. Quid vero Princiıes Imperii, quid docti, quid cordati tum Viri de Romani Pontificis anctitate, jure in Imperium Ejusque Caput ſenſerint, teſtantur ſcriıta Marſilii Patavini, Wilhelmi Occami, Dantis Aligherii, Lupoldi le Babenberg, teſtantur decreta Comitiorum Renſenſium *Anni 1337.* & Francofurtanorum *Anni 1338., quibus omnis poteſtas Papæ in Imperium c Imperatorem ſuſpenſa eſt, ac ea opinio tanquam orthodoxa recepta, Caerem Teutonicum, Imperatorem quoq; Romanorum eſſe, ſine conſecratione Papæ. Cæſarem non poſſe devoveri, Ejus Majeſtatem à DEO ac Electione endere, qui Cæſarem devotum haberet, eum proſcribendum eſſe*, Rebdorf. *d cit. Ann.* Ex *Hieron. Balb. Epiſcop. Gurcenſ. in lib. de Coron.* decretum rancofurt. refert *Chron. Spirenſ. lib. 7. cap. 17. & Spigel. ad Ligur. Poet. b. 8.* Hæc ſunt, Lector, quæ ex hiſtoria minutatim excerpere voluinus, ut antiquum Cæſarum jus in Sacerdotes, ac quomodo Sacerlotum dignitas ac ſanctitatis Opinio ad illud faſtigium execreverit, aucis expenderemus. Quas ſemper artes Pontifices adhibuerint, qua atione Pontificis Romani inſolentia aliis imitandi eum ſtimulos addilerit, quæ poſt Ludovicum Bavarum contra Romanam Curiam Ordinum

Joannis in Ludovicum Bavarum bannum Benedictus Papa improbat.

Scriptorum hujus ævi de banno Romano ſententia.

dinum gravamina, quæ hodie JCtionis Eccleſiaſticæ in Imperio Germanico praxis, qua eam ratione purgatio Lutheri & Calvini immutaverit, quænam apud nos reſtent veſtigia & ejus generis reliqua, vides ſi pertractare vellemus, integrum nobis tractatum ſcribendum eſſe, ſed tamen cum non ſpectent ſtrictè ad præſens argumentum, & quid ſecundum Sacram Scripturam & bonos mores in diſciplina Eccleſiaſtica obtinere debeat, jam ſupra attigerimus, abuſus autem notare velle, res ſit invidioſa, hos labores lubentes aliis relinquimus, Teque Lector, valere jubemus.

# L. B.

*Quoniam abſens Errata corrigere non potui, non pauca irrepſerunt. Extantiora, quæ ſenſum intervertere poſſunt, hæc ſunt.*

Pag. 8. Locus Juſtini collocandus. p. 7. poſt verb. ſupplementum quæſiviſſe: pene in fin. pag. P. 16. lin. 28. pro teſtes leg. teſtis. pag. 26. lin. 14. pro relegatur l. relegator. p. 27. l. 13. pro lenocinio l. lenocinii. p. 33. lin. 32. pro at leg. ad. p. 35. lin. 32. pro mulierum leg. mulier. p. 36. lin. 22. pro vincit leg. evincit. pag. 37. lin. 9. pro lib. leg. Lege, qui error ſæpius occurrit. p. 38. l. 3. pro marito leg. mariti. ead. lin. pro ipſe leg. ipſa. Ead. p. lin. 28. pro L. 96. leg. L. 9. C. & lin. 34. pro tam leg. tamen. pag. 39. poſt Nov. 27 pro c. 67. leg. c. 6. 7. 8. & claude parentheſin lin. 14. pro hic leg. ſic. lin. 15. pro Bellovits. leg. Bellovil. lin. 22. pro notis leg. notas. p. 40. lin. 15. pro hominem leg. homines & lin. 33. pro partem leg. partum. p. 41. lin. 19. pro nobila leg. nobilia lin. 25. pro videt leg. ridet. p. 44. lin. 17. pro maritatis leg. maritalis & lin. 21. pro vermeintes leg. varendes. p. 45. lin. 35. del. punctum p. 46. lin. 4. pro inciſerit leg. inuſſerit. p. 74. lin. 4. pro hereditates leg. hereditatis. p. 76. lin. 11. interſere poſt vocem regulam: quam. p. 79. lin. 14. pro poterit leg. potuit. p. 87. lin. 17. pro quam leg. quamvis. p. 86. germanica periodus che ponenda. p. 85. in fin. poſt verb. Guaguin. inſervirent. p. 88. lin. 4. exercitium leg. exercitum.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google